...ien.

Dzianotty Jos. Securitas ecclesiae et patriae.

SECVRITAS
ECCLESIÆ & PATRIÆ
AVITA ASCIA
ILLUSTRISSIMI, EXCELLENTISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI

D. PETRI
Comitis in Czekarżewice

TARŁO
DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ

EPISCOPI POSNANIENSIS

ABBATIS COMMENDATARII PARADISIENSIS,

FIRMATA.
Et in primo Vrbis & Cathedræ Ingressu applaudente Honoribus Suis

LUBRANSCIANO COLLEGIO

à

M. Josepho Dzianotty, Phil. Doct. Scholæ Rhet. & Dialectices ibidem Professore

PRODVCTA.
Annô quô

res MoDerant saCras, seCVra aVXere BIPENNIS.

POSNANIÆ, Typis Academicis.

89.

k.



Pacem consignant affixa Penatibus Arma,
Hanc fundat Lechiæ, TARŁOVIANA Domus.
Securè Patriam servat, tutatur & Aras,
Divinum in terris ASCIA robur habet.

Applaudit, Felix de Radomicko Radomicki,
Castellanides Posnaniensis, Scholæ
Grammatices Studiosus.

SECVRITAS
ECCLESIÆ & PATRIÆ

HONOR; quem Poſnanienſis nunc ornat Tiara, etſi jam tertio, ad Te tramite venit, ut hinc Faſces & Infulæ, inde Curules & Trabeæ ad Coronam meritorum deſcendant: tamen cùm hæc non nova apud Te decora, ut pote Purpuratæ TARŁONUM DOMUS hæreditaria, ſic Tecum ſimul nata, nihil ab illis Tuæ antehac ampliſſimæ accedit magnitudini, nobis verò plurima felicitatis augmenta. PRÆSUL ILLUSTRISSIME. Sublimatur Polona libertas,

ſurgit exceſsu lætitiæ & magnitudine gloriæ in immenſum evecta: quoties honor minacibus ex alto faſtigijs viſendus TARŁONUM ſupplex Regiam pulſat. Diem fortunæ ſuæ velut ab aſtris ortum, Lechicus adorat orbis: ubi in Sole honorum nativo gloriæ fulgore, virtutum luce ILLUSTRISSIMI radiant TARŁONES. Conſtanti Gentis noſtræ judicio, & fide ſæculorum loquor: quæ, Polona hæc Numina, ſtatim ab ipſa vagientis Regni infantia, hucuſque Patriæ traduci è Cœlo ſpiritu præeſſe, & Divina prope rerum moderatione prodeſſe, mirari non deſinunt. Hæc inuſitatæ virtutis prodigia Trabeatæ DOMUS TUÆ PRÆSUL ILLUSTRISSIME omnis cogitat memoria: hæ in hoc Auſpicatiſſimo Ingreſſu Tuo Senatûs Populiq; Poloni; quorum examina communem plaudentis Patriæ adornant lætitiam, provocatæ ſpes, & magna creſcunt auguria. Probavit orbis, tot meritorum præmiſsis, quàm non ſint TARŁONUM privata honorum incrementa, ſed eadem felicitatis publicæ: quidni nunc feſtivo gaudiorum motu, & triumphali aſſurgat omine? dum in Te per Sacra Regni faſtigia, fortunam ſuam vidit ſublimari. Occupas Præſuleam in hac Majorica Sedem, qui pridem ſpes omnium, vota & deſideria occupaſti; tantumq; nunc erigis, quantum ipſe aſcendis: ut meritò cunctatione quadam inter ſe hæreant, magisne honori Tuo, an felicitati ſuæ applaudere debeant? Evocas præſtolantes Te optimum Præſulem animos, imo arcana quadam poteſtate Tecum in Faſtigium rapis; qui non aliter eminere eligis, niſi ut per Te omnes emineant. Et certe idem eſt Tuus & Noſter aſcenſus, cujus ſubſelliîs Patriæ fortunam augeſcere, faſcibûs libertatem refloreſcere rarô ſæculorum exemplô, ad normam Poſterorum notamus, porrigimus. Ibis in exemplum Principum, ibis in totam æternitatem o Præſul! ad magnæ virtutis prodigium, quàm Te ipſe Boni publici amor, non privatæ dominationis ambitio, fortunæ Noſtræ, non dignitatis deſideria ad Infulas evocarunt. Æſtimamus

tan-

tanquàm Noſtrum Honorem Tuum, cujus æmulam Superis celſitudinem, dum Avitis Majorum ſplendoribus & propria meritorum luce accendis: nos ex tanto ſyderum concurſu Cælum credimus, in quo Te ipſum horoſcopantem Jovem veneramur. Prædicere nunc meliori eventu ex Tuis Aſtris, aureum Polonæ genti poſſumus diem; quem olim Natalis Palladis, nunquàm à Cœlo, ni à fabula produxiſſet. Digna hæc de Te omnium obſervatio, meritorum argumenta dum appellat, convincit; nunquàm poſſe à Virtute Tua ſemper publicis rebus ſalutaria volvente, non magna, non beata ſperari. Sed dum cuncta in altum promoves, ipſam ſub tanta celſitudine gloriæ reptabundam relinquis facundiam: maxima enim in Te ſcribere volentibus, majora exhibes, ut vel ipſa argumenti amplitudine, omnium ex voto modeſtiæ, incepta termines, conatus confundas. Æternitate rerum Tuarum, impares Oratorum panegyres effugere tentas, non tamen poteris: deficiant hi potius, quàm triumphalia ingreſſus Tui & publicæ lætitiæ vota, nullam ſibi præſcribant legem. Unde minuet debitum, crimen audaciæ meæ, quòd inter feſtivas omnium acclamationes, facundas aliorum voces, incondito quantùmvis ſermone laudes Tuas balbutire audeam. Excutit nativum chartæ pallorem ipſe tenuitatis ſuæ conſcius laudator calamus, nec unus metuit, cùm plures habeas. In confertiſſimo ſuavioris harmoniæ concentu faciliùs latet choraula: inter diffuſos tubarum clangores, tantùm tenuis nocet tibia, quantùm ſi ſileat: & congeſta auri copia ſæpius excuſat paracharagma, quàmvis appenſum libræ pondus non adæquet. Ingrederis cunctîs plaudentibûs Supremam honoris Præſulei Augem, & jam ſolis imitaris naturam: cujus in ortu non ipſa eminentior Cedrus, ſed & humilis arundo, ſuas exerit vires, & grandia tentans, longiſſimam proijcit umbram. Hanc & ego cum meliora non poſſim, ſcholaſticâ nigreſcentis alphabeti diffundam pennâ, quam tu timore audaciæ pallentem

æmulô Phæbi ingeniô, meridie virtutum diſcutiens,ſerenabis. Eriget humile ex ſe opus Architecta ſemper gloriæ Aſcia : dabit ſuum pro Oratorio acumen ; Lunas pro lumine Rhetorico. Tantùm itaq; veritati innixa procul ab aſſentatione prodibit Oratio : quantùm ILLUSTRISSIMÆ DOMUS TUÆ Aſcia, ipſa Operum ſuorum aderit teſtis, fidemque excitabit, quàm beata Eccleſiæ & Patriæ Securitas, ab ejus Divino planè firmetur robore.

HAbentibûs in occaſum ſæculîs, dum jam Orbis propior ad tumulum, etſi auguſta omnia, eò fortioribûs quòd extremis conetur viribûs : nulla tamen inter emortuos vividæ virtutis conatus Phænicem agit fortitudo, quæ Divinos concipiat ſpiritus, ut ad veram præſit fortunæ noſtræ ſecuritatem. Quem pro hac non movet lapidem, molitrix ingentium operum humana cogitatio? quantùm ſe per ſummà non erigit? & ſæpe irrito laboris nisu, in imis hæret. Erigimus Babylonias turres, Tarpeias arces, malè perſuaſi: ſic ſecurè contra fortiùs arietantes balliſtas latitare poſſe, mox ex tanto ſumptu ſuperba habituri buſta. Obruimur hac ſtrue lapidum, ipſa fiduciâ fracti miſeri Polydamantes, toties ipſis ingemiſcentibus manibûs, præſidia noſtra ad ſolam prodeſſe ruinam. Accendimus Alexandrinas Pharos, Siculos ignes: ut ſemper vigiles fata inveniant : ne objectante phantaſmata Morpheo, primum nos mortis occupet. Lampades tamen hæ non præcludunt fatorum viam, ſed monſtrant : ignibûs non extinguimus flagrantis Trojæ ignes,ſed augemus, & ſæpius eò turpiori incendiô, quòd tutelaribûs adurimur flammîs. Laboratum eſt curîs ingentibus, pro ambitioſo Thebarum Antemurali,quoadusq; centum aſſurgeret portîs: ſed & hîs quòd nondum potuit claudi ſecuritas, profundiùs ſuis inſepultæ ruderibûs ſæcula noſtra erudiunt. Satis enim ad periculum, ſatis ad fortunæ

diſcri-

discrimen egimus, datâ ad nos irruentibus malis tenuiori rimâ, quid? si tot ostia pateant. Ita semper spes nostræ mendacissima componunt oracula, quod fortunæ splendorem putant, fulmen est; quod trophæa vitæ æstimant, patens sepulchrum reperiunt. Cautiùs tamen fata accusetis mortales, ne scelus in authorem redeat. Convitium est, quæsita lachrymîs decorare funera: plenam querulo fletu attollere vocem, & nunquàm satis deflenda patrare. Opprobrium est Erisichthonem famelicis Saturni dentibûs corrosum dicere, aut Ajacem Achilleis cecidisse armîs. Nulla nobis quies, nulla securitas, quia sæpe dolosus sceleratarum mentium astus, æstus ejus est; sub quo æternùm languet & fatiscit. Pessimas inquàm perversum sæculi ingenium didicit anthiteses, ut jam scelus virtuosum, fortunata infelicitas, robusta debilitas diceretur. Nimirum, multi; Joves aut Dij Tutelares scribi & adorari ambiunt: qui cuncta ad graviores casus movent & impellunt, modò cæterorum ruinis altiùs emineant. Supponunt nonnunquàm vastos ceu Mauritani Atlantes, ferendæ Regnorum moli humeros, & nonnihil ad mendacem famam attollunt: sed mille fraudum Magistri, iterum repente gradum è vestigio movent, ut pondus illud; quod se sustentare diutiùs fingebant, ruat ab alto ponderosiùs. Sæpè nutritios simulant se pappas, blando ad tempus arrident gestamine, & dum maximè fovent, foveam effodiunt: ut eò tutiùs, quòd sine conjectura Rerumpublicarum agant Vespillones. Ominosum imperijs & non ferendum, hunc intra viscera recondi Eurybatem, à cujus calliditate., dum omnia morte frigescunt, ipse laudem à crimine sumit, & ad vitam Patriæ amicum Naturæ, inspirasse calorem, contra solem mentiri audet. Verùm attendite Sinones & Horostrati, scintillæ quas doloso supposuistis cineri, accendent quidem Divorum Metropolim Trojam & Ephesia delubra, sed & orbis Phäëtontes, medias inter flammas perpetuò ad vindictam sæculorum fumabunt: nec ab ijs, sceleris sui protectri-

B

tectrices silentij umbras invenient. Cortina hæc vitiorum est, sed magna Regnorum securitatis injuria: Protheum esse,& statorem dici; Philotam agere, & Censorinum scribi? proditorem Lacedemoniorum Pausaniam sequi, & Achillis nomen induere. Sic tegi, sic latere, Populorum & Imperiorum ruina, quæ non ita à Polyphemis illis occultis nocuisset, si priùs notuissent. O portenta in ultimas terras deportanda! non sic tuentur ad securitatem Regna Patria & Aræ Divorum. Grande negotium hoc, integerrimæ fidei Heròés, non Nattas; ære triplici cusa Fabiorum pectora, & fideles candore poscit Palantes. Horum intaminata virtute servari, tutelaribus protegi armis, magno ad vitam meliorem animari spiritu, Regnorum fortuna & robur inconcussum, ad veram securitatem.

Applaude felicitati tuæ Polonia, cui Victrix sæculorum ASCIA, perenne securitatis erigit trophæum. Triumpha gloriosè tot gentium labores; quæ quantùm olim in prægrandi armorum mole spe peccaverant, tantùm Tu Uni, fidei debes. Nec ambigendi locum relinquo, ne ex intervallo res effingentium morem geram, præsidium hoc TARŁOVIANÆ esse ASCIÆ adijcio, & jam satis ad oraculum. Absint fatidica Sybillarum folia, nihil à levitate horum, nisi pondus mendacij legeris: non necessitamus Tripodem cuncta sub ambagibus responsa volventem, ad cujus veritatem argumenti sufficit, si ex promissis gaudiorum præmissis, gravî Philippidem suffocet cahinnô. Nihil blandimur sub ASCIA fortunæ nostræ, probrum nimis & non ferendum his eam metiri ludicris postquàm Polonum impleverit orbem. Demonstrari non debent, quæ scimus: fidem excedunt, quæ vidimus: dubitari non possunt, quæ sæculorum evincit conscientia & operum æternitas. Avitæ ILLUSTRISSIMÆ DOMUS TUÆ ASCIÆ PRÆSUL PURPURATE tota se debet Polonia, à qua fatemur, tantùm eam decoris majestatis & splendoris accepisse, quantùm ipsa optare poterat,

terat, nemo ſperare. Nec aliunde rerum magnitudo; quas geſſit, dignoſci poteſt: niſi quòd capaciſſimæ etiam cogitationi hominum nihil æquale fecerit, omnia virtuti ſuæ. Quæ nunquàm ſæcula orbi promittere auderent: hæc momentô Lechiæ aurea TARŁONUM dedit Bipennis, quoties aciem contra hoſtes inſtruere viſa. Unus pro Græcia Achilles; pro toto Ilio unus Hector; una pro nobis bella geſſit ASCIA, gloriam Gentis auxit, Patriam protexit, Cives ſervavit. Calcavimus immanem Othomanicæ Lunæ faſtum, cujus cornua victorioſum hoc non ſemel decuſſit Ferrum, & noſtris dejecit pedibus. Fulgentiſſimum TARŁONUM ASCIÆ lumen, verius fulmen eſt, quod Regnatrix Polonorum Aquila, quoties in hoſtes protulit, imponentes Pelion Oſſæ Encelados, ſub Æthna & Siculis montibus gemere fecit. Nunquàm nobis ad portas metuendus imminebat Annibal, quibus hoc mille clypeîs & omni armatura fortium validius appendebamus Monile. Sanè, ASCIA hæc, bellorum Arbitra, Gentium Domitrix, trophæorum Architecta, quæ plures in coronam Patriæ victrices demeſſuit laureas, quàm de Aricijs Diana nemoribus, aut ſuis Albunæa viretis, omnibus ſæculis tantæ dotis exagogas concedere poterit. Nimirum infra ſuos ingentium operum conatus duxerat, Principem in fundamentis Regni hujus Architectam egiſſe, & ad ſupremos gloriæ & majeſtatis non deducere tholos. Parùm namq; æſtimantur virtutes, quæ ad radices rerum ſubſiſtunt, & dum faſtigia promittunt in imis labores faſtidiunt. Nec pumiliones auſus hi inertiâ diſtant: minùs enim operoſi ſunt, qui inter duos terminos medium non admittunt, ubi inchoant terminant. Hæc vera gloriæ majeſtas, & auguſtiſſima moles orbis pupillas rapit, & ingenti admiratione triumphat, quæ etſi tempora diuturna expectatione laceſſat, tamen ab opere non ſubſiſtit, donec in faſtigiatos deſinat vertices. Tantùm pro Patria à primis Ejus cum Lechô principijs, adusq; TARŁONUM impendit ASCIA, ut nunquàm ſe, laboribus ſæculorum

lorum, hebetari posse deduceret. Hinc maturè Tecum dispice Polonia! quemnam malis Conditorem dicere? Lechus Te fecit: hæc adusq; perficit; imo si fecisse dici potest, cui fortè ut esses sufficeret velle, ni hujus operâ uteretur. Hæc inquàm, cum omnia in Te ad prodigia sæculorum & ingentem promovit gloriam, excessit Tua meritis præmia, cum qua Cælum etiam sua partiri debuit decora. Lunas suas appendit, ut emeritæ virtuti triumphales erigeret arcus aut ut ab hac, cui se ipsa submittunt sidera meliùs Polonum orbem, quàm à Motrice regi Intelligentia indicaret. Utrumq; non ab arte ingenij, sed à virtute TOPOREORUM admittimus, ad quorum coronam meritorum, quòd etiam altiores Cælorum sphæræ descendere vellent: Luna Planetarum infima Prænuntiam agit. Hæ sunt Astrorum de ASCIA curæ, quas dum etiam inter primos Regni Fasces, Trabeas & Curules pulcherrima æmulatione accendunt, venit undiq; honor, ut in una Domo totum dilatasset Senatum. Sic deficiente in Nepotibus Lecho, primam inter duodecim Principes Palatinos occupavit TOPOREUS Sedem: ut à prioritate juris hæreditatem in Senatu Successoribus suis porrigeret. Admirandus jam pro tunc ASCIÆ splendor, omnem famâ suâ impleverat orbem, cui securiùs propugnandæ Reipublicæ integritas crederetur. Et quidni credi debuit? quæ in Magnis de Panigrodz, Luknia, Danaborz, Prægnia, Comitibus TOPOREIS, plures Patres Patriæ & Defensores dedit: quàm olim Xerxes vastissimos à tota Perside exercitus, in Græciam armaverat. Certârunt hi pro Regno nostro invicti Heroum Principes, Cæsare & Pompejo feliciùs, tantùmq; orbi Polonum commendârunt Nomen: ut jam nihil ei ad perennem posterorum gloriam, nihil ad terrorem gentium defuerit. Et jam hic è nube sæculorum; quam vix laudator retegit calamus, ipso meridie altior lux quædam oboritur, & totam oculorum perstringit aciem, ut demissos sub tanta Luminum majestate vultus debitæ admoneat reverentiæ. Nativum hoc

ASCIÆ

ASCIÆ jubar, quod in Zegothis, Tęczynijs, Novogijs, Osſolinijs, Zaklitis, Zbilutis meritorum gloria ſerenavit. Intende pupillam orbis! quæ ſit tantorum Nominum claritudo? ambitu ſæculorum emenſa, obtutus poſterorum incurrit, ne ſuæ magnitudinis ſuſpendat menſuram. Vicit tot temporum injurias, tanto æternantis famæ exceſſu, hæc Polona de TOPOREIS Fabiorum Turba: ſed ſimul & Oratorum ingenia vicit. Nihil hîc Tullij addet eloquium: ubi nec ipſa ſibi ſufficit cogitatio, nec tantùm aſſurget facundia; quò exquiſita quantumvis meditamenta, nequeunt ſublimari. Onerâſtis Hiſtoricorum calamos, Magni Heròés! qui licet veſtram meritorum celſitudinem non exæquent, nec pro ſua amplitudine omnia narrent: jam tamen ipſam æternitatem excedunt, quæ legimus. Parcite huic elogiaſtæ paginæ! quòd veſtra non capiens Nomina, juſtô adoret ſilentiô: impar enim huic ſyllabo; qui integra orbis volumina, redegit in anguſtias. Nondum tamen tenuis penna, dum ita ſe abripit; à laudibus veſtris ſubſiſtit: nondum tacet, etſi jam ſermones coârctet. adhuc ad Aram Nominis Veſtri Rhetoricam verborum cogitat hecatomben; quàm Sietigio ſeu SIECIECHO, Palatino Crac: Magno olim Sarmatiæ Marti, litatura, triumphalibûs Ejus accendit flammîs. Nullæ inter Vos ſub eodem genere differentiæ: quos gloriæ communio non ſecernit, ASCIA non diviſit. Æſtima tantum Nomen, ex immortalibus BOLESLAI Chrabry meritis Polonia! ſuam cum hoc partitus gloriam, eâ famæ non virtutis injuriâ: ut quidquid ab illo eſſet ſanguine partum; dos Regiæ Purpuræ haberetur. Nimirum ſpecioſiſſimum illud trophæorum opus, quadragies ſepties repetitîs de hoſte victoriîs auctum; ni adulatorium Regibus Methonimiæ immiſceas modum, Principi inter arma militum, Sieciechianæ debetur ASCIÆ. Apello Polona antiquitatis monimenta: fidem dabunt, quàm hæc ſola prælia geſſit; Rex numeravit: hæc vincere debuerat; ut ille triumpharet. Parum eſt emortuis, cæſorum cadaveribus victorioſo inſultare pede, & Capitolium ingredi

non tamen priùs Boleslao licuit, donec SIECIECHUS tot animarum exuvias hostem deponere coegerit. Ita est. maximus hic Heroum Alcides, cùm omnia Rege digna fecisset: solo hoc titulo minor, quasi jam non sua existimans, Regia dici voluit. Suffecerat Boleslao ad augmentum immortalis gloriæ hic Ephestio, qui cum omnia pro magnitudine Regia posset: implevit Ejus desideria pro Patria, supplevit pro DEO. Pari namq; cum Rege liberalitate, æquali in Superos cultu, Sieciechoviense erexit Asceterium: ut jam nihil sit, quin ambigere possimus, simul hos Aris & focis præfuisse, simul quoq; Patriæ regnasse. Nec hîc fortunæ nostræ audeant suam conferre Romani; TOPOREORUM ASCIAM, divisum cum Regibus habere Imperium, quæ olim Qviritibus jura dabat. religiosiùs semper Lechia hos coluit Fasces, tantùmque Romuleis prætulit: quantùm sublimiùs habetur dominari in Deos, quàm in populos. Contremuit tantùm Roma, justo reverentiæ timore ad suas secures: hîc ad erectam TOPOREORUM ASCIAM, ipsa Numinum corruere delubra. Nempe illas Ausoniæ adorabant gentes: coram Hac etiam ipsi cecidere Dij. Hæc dum memoro: conscius rei hic Lechicus orbis jam se reverentiùs movet, quòd de Corona agi intelligat. STEPHANUM inquàm propono, primum Gnesnesis Tyaræ Archi-Præsulem, Frontem illam Senatûs & Polonæ Religionis; ad quam primùm in Regno nostro falsorum Numinum simulacra, suis erubuere flammîs. Accendit hic Sanctior Lechiæ Numa pridem rogô digna idola, ut putidiùs ad molestiam inferorum fumarent, quàm illis odorata priùs Arabiæ thura, aut Minæorum obobalsama redolebant. Comminuta tunc ab ASCIA illa jacuere deastra, quæ turpiter ut divinitatem suam; ita æternùm stare mentita. Risere jam cæcam superstitionem hominum ipsi inter sua busta prominentes Dij: quòd truncos; quos tam diu coluit, uidere non poterat: donec adusta Cyclopum fierent carbonaria. Nec fortè adusq; vidisset: ni excitato, à Chalybe

be TOPOREORUM igne, in medio Deorum incendio lumina quæ cum fronte amiſerat, inveniſſet. Redivivum hunc nobis STEPHANUM Poloniæ Proto-Præſulem quis non dixerit? ſub quo tanta Cælorum, perpetuam dormientibus noctem facta apertio: ut à mortis exciti ſomno, ad Lumen vitæ & æternam evigilaverimus diem. Age tecum Lechia! quid pro hac ILLUSTRISSIMÆ TOPOREORUM DOMUI debes. Nihil hîc honorum ſerenitas: Hæc lumen fidei dedit. Faſces, Sceptra & Coronam ne cogita! Ipſa Te totô Cælô regnantem fecit: dum Romæ obedire docuit. Exceſſit eòuſq; tua præmia: quò Te altiùs è tenebris idolothyſiæ extulit,ut cum DEO ipſo conjungeret. Ampliſſima Senatûs decora;quæ jam TOPOREA malis dicere, adhuc altitudine meritorum infra ſe deſpectabit: cui nihil æquale dare poteris, qui Tibi DEUM dedit. Quodſi vel de Anthonomaſia tibi res eſt! quâ dignè TOPOREOS ad facilem magnæ virtutis conjecturam compellare poſſis: vicit, triumphat maxima vocis difficultas, etiam exquiſitiſſimos Artis Rethoricæ modos. Si Conditores, Reges, Patres Patriæ dixeris! nihil adhuc: ſi Tua adijcies Numina! rem ſine adulatione expreſſiſti. Nec enim in Cælos ſuperſtitione peccare poteris! ſi velut Numinum ſimulacra, Tuos adoraveris TOPOREOS: utpotè, inter Quos primùm, lapidante idola STEPHANO, DEUM verum inveniſti. Quare deſinat jam invidus mirari livor; quòd per tot ſæcula, trabeata Magni TOPOREORUM Sanguinis Purpura, ad augem uſq; ævi noſtri deducta, tanquàm nuper emerſiſſet, indeficienti Palatina, TARŁOVIANÆ DOMUS atria, perennis gloriæ circumalluat fonte. hauſit enim immortalitatem à Numine; in qua priùs latuit, antequàm Illud Polonia noſſet. Sic Architecta Imperij hujus & Polonæ Religionis ASCIA, quòd nondum attritam tènuerit aciem: Ille Angularis Eccleſiæ Lapis; quem ad nos à Petra deduxerat, continuum Ejus intendit acumen. Hæc ego Antiquiſſimæ DOMUS TUÆ PRÆSUL ILLUSTRISSIME

SIME vix prima innuo decora, fidem ſupêrum! Neptunum Peneô, Thetidem tenuiori Nymphâ, aut totam æternitatem una circumſcribere die, priùs tenui calamo tam ardua non contrariarentur contraria, quàm vel ſola magnorum Aborigenum Nomina, ampliori æternitatis ſyllabô, recenſenda deduceret. Diúùm enim Genus hoc, & Princeps gentis noſtræ Proſapia, tot illuſtres Majorum accendit Ceras: ut ab æmulis Cælo ſplendoribus, in Nobilius degeneret Firmamentum; cujus ſi quis ad ſummam revocaverit ſidera, productum TARŁONES monſtrabit Non eſt Oratoris aſſentatio, DOMUM TUAM Cæleſtium ignium Metropolim, aut Fontem luminis dicere: à qua omnes Regni hujus Familiæ, velut Promotheus à ſole, illas gloriæ accendunt tædas; quibûs ad igneum ILLUSTRISSIMI NOMINIS incaleſcunt decorem. Nullam hîc, origine Polonam legimus Familiam; quam pro ipſis ſuæ infantiæ cunis, medias inter alas, velut olim Aurelianum, Lechica ſuſtentavit Aquila, & dulci ad Phœbum agitabat petaurô; non à TARŁONIBUS deſcendiſſe. Deſcendêre omnes, ſed in eo aſcenſu; cujus nunc ipſa faſtigiorum ſupercilia; quæ Cælo caput inferunt, beatiori ſupereminent celſitudine. Hæc namq; maxima omnium Proſapiarum gloria eſt, primos deducere TARŁONES: Quibus idem eſt, horum ſe ſplendoribus ſubmittere, quod Lunæ Superioribus Planetis; & tamen ipſius Phœbi noſci ſororem. Quas nunc Polonas, miratur orbis Familiarum Cedros, à palmite TARŁOVIANÆ crevit Arboris; quæ ſe in plures exaſciavit ramos, ſanctiorem nobis Dodonam plantatura. TUÆ ILLUSTRISSIME PRÆSUL DOMUI, tantùm tota Regni Noſtri debet Nobilitas; quantùm nunc gloriæ habet: cùm non priùs Polona; antequàm TARŁOVIANA diceretur. Sed dicere non ſufficit patritiam Lechiæ Geneſim, communicata ab ILLUSTRIBUS TARŁONUM Ceris, igneſcere luce: etiã illi Penates; quos extera pulchriùs ornavit Lucina, ut virtus Polonos faceret, non plus poſſe habere ſplendoris;

quàm

quàm ſibi ab ijs conceſſerint: adhuc ad ſuæ augmentum gloriæ recognoſcunt. Quas namq; Togas, Laticlavia & Purpuras induunt; illæ priùs TARŁONUM fuêre; tantùmq; cum his accipiunt decoris; quantùm hæ ab illis derivârunt. Rem ipſam abſq; involucris proponam: Senatûs Trabeæ, Regni noſtri inſignia, hæreditaria ab antiquo TARŁOVIANÆ DOMUS poſſeſſio, vix unquàm alienas ornarent manus: ni innata hujus permitteret modeſtia. Partiri cum alijs illa voluit decora, ne una omnia teneret: tenuit tamen, ſed non ſimul. Et hoc demum eſt PRÆSUL ILLUSTRISSIME, quòd vectigales Honori veſtro calami, quoties TARŁONES celebrare intendunt, Senatum explicant: quaſi jam ſine illo noſci non poſſint; quibus ſimul in mundum, ſimul in Ejus faſtigia naſci, cognata dedit cum luce poteſtas. Aſcendam & ego per ſingulas Trabeati honoris ſpecies, non elogiorum novitate; ſed tantæ ſingularitate gloriæ, ſupremum Genus Tuũ deducturus. Et ne aliquid in laudibus omittam, hanc prius veriorem orbi perſvadere velim Anthonomaſiam: ut quoties poſthac Polonũ innuet Senatũ, ſemper ILLUSTRISSIMAM TARŁONUM DOMUM intelligat. Nihil enim huic ad tantam deerit magnificentiam; quam orbi deducere, ut à ſummis inchoaſſet, à Diademate cepit. Primô à Rege Archi-Præſul STEPHANUS conſedit ſoliô, & ad Thronum etiam, jam à Coronato Nomine habuit ſuffragium. Magnô certè Divini conſilij arcanô nutuq; actum eſt, quòd ILLUSTRISSIMA TARŁONUM DOMUS, totum olim habitura Senatum, à prima ſtatim fronte, potiorem ejus partem, Coronatum produxiſſet Caput. Quanquàm plures hæc Patriæ, ad Majeſtatem ſuam Sacrorum dederat Reges. Auxit hujus Senatus decorem, PAULUS de Czekarzewice TARŁO, qui ipſam Archipræſuleam Leopolienſis Tiaræ purpuram, tantùm pretioſis virtutum ornavit gemmis; ut longè pulchriorem redderet, quàm acceperat. Illuxit hæc magìs, quàm nativa luce, ſplendoribus Ejus; quorum hæreſis toties vi-

D dit

dit meridiem, & ægram oculorum sensit ophtalmiam. Rugijt vocalius, sub tanto PRÆSULE Roxolanus Leo, & tota hostium Ecclesiæ, contremuit acies: Roma, ad victoriosam vocem exultavit. Implet Tiaratum Setam mideorum consessum, STANISLAUS TARŁO; in cujus gemino Præmisliensis Infulæ radio, ea meritorum refulget serenitas; quæ erat Cælestium, ad verticem Atlantis siderum. Præmisliæ Pastorem egit, & ut orbis, unum Christi fieret ovile, cogitabat; ex quo suæ meditabundæ pro DEO Diœcesi, ingentibus curis responderet. Crediderim dissеminata, per Poloniæ agros, DIVI STANISLAI Martyris membra, in illam etiam cecidisse oram, messem magnarum virtutum, in Ejus Nominis PRÆSULE allatura. Expressit Hic, vivam Tutelaris imaginem; cujus Superis conterminos vultus, nulla Apellis exprimet manus: nemo totum, qualis quantusve fuerat, pingere poterit. Effundit se calamus, per tanta TARŁOVIANI SENATUS Decora, & cum domi steterit, humanas silet panegyres; Cælestem enim offendit Genium. Nihil hîc Tullianæ intelligent laudes; quas orbis Sarmatici triumphat Intelligentia: nihil proficient; cum nullum verborum pondus, gravem MICHAELIS libram, plenam meritorum æquabit. Magnus hic Urbis Posnaniæ PRÆSUL; in quo viva mens resederat, Patriæ & Ecclesiæ: quidquid enim, de illa altô præconcepit animô; salutare vidimus: quidquid de hac; verè sanctum probavimus. Res hæc, ævô nostrô spectatissima, oratoriis coloribus illustrari non quærit; cum neq; pro sua magnitudine possit. Claudimus totam in nucleo, elogiorum molem, tantùm pijssimum ANTISTITEM pro Polona libertate egisse, ut Phænices Senatorum; tantùm pro DEO, ut gemmas PRÆSULUM ingentibus meritis excesserit. Sed quid de IOANNE dicam Kijoviæ PRÆSULE? imo quid jam sub tanto non dixi Nomine? cujus gratiosum Ethymon, Angelica in omnes comitate, impares Charitum multiplicavit numeros, & Pòetarum cunfudit ingenia:

quòd

quòd plures in se exprimere potuerit, quàm illi nume-
rare, fingendo. Loquentur ad invidiam sæcula nostra
æternitati; quæ dulces PRÆSULIS meruêre vultus,
quanta sit eorum felicitas; ut vel ab uno sui aspectu, mil-
le prope gratiîs, Regni Aquilæ pupillas, majestatis ad-
miratione defixas, pascant animentq;. Et quidni tantùm
ad Cælum frontis suæ, erectos in oculos possit? qui omnia;
ad depressum terræ pulvinar, projectos in pauperum vul-
tus. Succurrit horum inopiæ Regia liberalitate IOAN-
NES, & dum se velô modestiæ tegit, magis adhuc igno-
ranti turbæ notissimus; quæ inimica silentij, sæpius eleva-
ta ad Superos voce, Gratiosum compellat. Porro, omnia
in Eo ad normam virtutis composita dicere, Magni No-
minis injuria est: animata Hîc creditur Virtus; cui se
totam infudit, ut unum cum PRÆSULE fieret Indivi-
duum. Adeste ingeniosi Timantes! aut vos non ceden-
tes Parrhasio Zeuxides, transferte maculosîs aurô colori-
bûs, nostrum in tabulas ANTISTITEM: ut posteri vixisse
inter mortales virtutem, videant & adorent. Trabeatam
hanc à purpura Senatoris dabitis ideam: Fronti Tyaras,
Mitram imponite! veniet & hæc ad coronam virtutum.
In Oculos duo Cæli descendant luminaria: pari in omnes
influxu æmulantur. Manus liberales, aures ad voces
gementium pronas, os ex dulci eloquio aureum, pectus
meridiantem Angelici Doctoris THOMÆ induens Solem,
artifici pingite penicillo. Illud tamen in hac thaumatur-
ga imagine servabitis! ut tot inter decora, modesta appa-
reat: sic enim primùm veriora erunt, PRÆSULIS li-
neamenta. Ad sacram itaq; tot Purpurarum fimbriam,
profunda cadit Oratio, & imparem professa facundiam,
cum tantis loqui Numinibus, in verecundo tenuitatis ru-
bore, humile elogij genus, ipsa tantùm erigit reverentia.
His tandem à genu procidens, dum se sacris submittit
splendoribus; jam à primo Infularum descendit vertice,
& adhuc in summa omnia offendit; quæ vix intelligi
possunt, nunquam dici. Ad Palatinas Curules dictionis

gradatio: quas nondum adijt, & jam vix ſerpere poteſt: à veſtibulo enim, imbelles conatus religioſus occupat horror, ne dum ſe intimiùs, auguſtum recludat Conclave, rerum ſuccumbant Majeſtati. NEORIUS & NOVOGIUS TARŁONES, nova dicendorum panegyris: ad quorum Sandomirienſem purpuram pallent Hortenſij roſæ: Arpinates, velut in Tuſculano ſuadæ infantiâ reptant, felici excuſatione noſtra, majora hîc latere miracula; quàm immortales licet, ſub orbis aſpectum dare poſſunt calami. Illuſtriſſima hæc Nomina, cum aciem ingenij perſtringant, nec noſtræ laudis menſurâ capi queant; capiat ea orbis ex comitatu. Succeſſere his trini IOANNES; quibus propria præiverant merita, ut honorem effeciſſent comitem. Nihil his ætas noſtra comparet, omnis ſub tanto numero, perfectionis plenitudo; ad cujus amuſſim, æternitas, ſua virtutum exempla, quæ in omni genere dare poterit, exaſciabit. Eadem illis Nomina ingenioſa Cælorum dedit induſtria; quos purpura, virtus, integerrimus in Patriam amor, zelus pro Fide, veriore quadam metempſychoſi, indiſtinctos orbi (ſi tempus ademeris) non minùs fecit, quàm probavit. Lineas quoq; ſapientis ingenij, à concolore animo ductas; quas benignior in hac Triade extendit natura, parallelas à paritate invenies. Quippe implevit Unus omnes ſuperlationis gradus; quidni Alter ſupra eum aſcendat? æquè Gratioſiſſimus, Prudentiſſimus, Feliciſſimus. Hinc pertinet ad magnæ incrementum gloriæ, quòd Celſiſſima inter TARŁONES æqualitas, cùm longè diſtet ab humanis; nihil ſibi præponderet, nihil non ſuppar habeat. Utinam verò tantùm aſſurgat dictio! quantùm hi immortalium operum eminent faſtigijs: utinam facunda Tullij arva, tot germinent flores! quot ADAMUS (Parentem Tuum dico, PRÆSUL ILLUSTRISSIME,) cæleſti contermina Paradiſo, virtutum explicat floralia. Adora Nomen à genu Lechia! Patrem tibi Patriæ propoſui. ſed prona ſemper ad omnimodam Ejus reverentiam, orbis etiam

ut

ut se huic inclinet desideras? fieri potest: da mihi Polonorum corda! sic dulce aperiam monumentum; in quo tuus meruit sepeliri amor. Vivit dicere debueram; qui te toties suo animavit spiritu: ut nunc illo; quem in Te reliquerat, post fata viveret. Nimirum Magnus Smolensciæ Palatinus, divisit cum Patria vitam; quoties inter pericula exspirantem vidit, aut hostis animam ferrô repetere vellet. Et quidni nunc obstricti gratitudinis jure mutua præstemus? ut, in quo beatiùs viximus, vivat in nobis. Ita est frustra Principem hunc, inter felices quæsiveris umbras! quem immortalia animant merita, & orbem ceu Numine quodam implent, omnibus dando præsentissimum. Infer te (quem magnæ gloriæ absorbet invidia) purpuratis Procerum ædibus! Magistras agent, quantùm Illustrissimo PALATINI personant Nomine. Disces! quomodo Sacri Penates, nunquam clariùs domesticis rident splendoribus, nunquam attentiùs suas erigunt aures; quàm dum intimo Principum & Regum etiam, Optimus hic Lechiæ Senator, colitur sermone. Enumerant illi, magna Ejus in Rempublicam merita; hi vivæ vocis æstimant oraculô: unde ipsa fatigârunt sæcula; quorum repetendo memoriam, parem huic Patria non invenit Civem: imo ut aliquando habeat, eadem exspectabit. Sed decresce jam Panegyrica Auxesis! illa tibi decorum præcludit viam celsitudo; in qua ipsæ hæsitarent Intelligentiæ. Suffecerant ad indeficientis gloriæ vigorem, Epaminondæ laureis, svaviores Plutarchi eloquentiæ fontes: abundè Tiberios, non obstante Nominis silentio, sæculis commendârunt Taciti: crevit sub laudibus Curtij, Magnitudo Alexandri; non decessit. Pares encomijs Gratianos, invenere Ausonij; quibus ea scribendi, quæ his immortalia gerendi, facilitas. Nec tot Romanorum Fabij fuere, ut Livius numerare non posset. Dedere sua singulis elogia, maximi Oratores: haberent tamen omnes, quod in uno Parente Tuo PRÆSUL ILLUSTRISSIME laudare vellent. Tam

E enim

enim ævo noſtro ſufficiens erat : ut ſi de illo æternitas diceret, & huic adhuc dicenda ſupereſſent. Iuſtum de Eo & ipſe Tullius optaret ſilentium ; quem jam Cæleſtes faſti,aureis notant charecteribûs, ut humanas ab alto rideat panegyres. Movet ſe locô, tantum Patriæ Numen venerata,exilis penna : ſed in conſpectum Poloni Macedonis ALEXANDRI TARŁO, Palatini Lublinenſis prodire timet. Orbis huic theatrum non ſufficit : quomodo exiguâ paginæ circumſcribi poterit peripheriâ? Nihil hîc artis Timantheæ arctabit ingenium ; à primo enim veſtigio immortalis gloriæ Olympia, ultra omnem promovit columnam. Quòcunq; enim proceſſit Heros, ſemper ſub palmari calce, vel lauros meſſuit ad coronam, vel fatales cupreſſos, ad funera hoſtium elicuit. Bellicum hic animum,prope cum ubere hauſit; cujus prætextam anteire ſago, non vidimus. Velox illud induit, ne ætatem ſuam intempeſtiva cunctatione deliberans, ſerò hoſtes animâ exueret ; quos ita demum Gentilitia terruit Bipenni : ut priùs inſtructas acies viciſſet, quàm vidiſſet. Satis enim ad horrorem gentium erat, Nomen Alexandri audire : quoties enim Patriæ ſacri Tripodem, animi in conſilia reſolveret domi ; ſenſit ea foris, excubans in Armis Othomanus, ſenſit barbarus Scitha; & cùm à noſtro Oraculo, palmarem gloriam aſſerere docti, jam minimè timuimus, timuit ille. Vidit Lublinenſis purpura, quantùm in TARŁONE reſplenduit, ut trabeata lucis Majeſtate, Patriæ & tantùm non orbis terminos excederet. Palatinus etiam honor ſe ipſum miratus, quòd plura unus habuiſſet decora, quàm omnibus ſperare licuit. Quæſivit itaq; in ILLUSTRISSIMA DOMO, parem magnitudine Alexandro ; & cùm nondum Diogenis accendiſſet facem, ipſum Polonæ gloriæ meridiem ; qualem Philoſophus ambiebat,STANISLAUM invenit. Perſonata hæc Intelligentia, parî cum mentibus æthereis animô, immortalia ſpirat ; cum quo quidquid comparaveris, humile ac exiguum

guum est: cujus sublimia per vastos rerum anhelitus, nec sæculorum æquabit æmulatio. Ea huic ab ipsis cunis coæva celsitudo, ut vicina Cælo fastigia; quæ plurimos supereminentes fecere, adhuc magnitudini suæ suppedanea, gloriari possit. Ita sane: quod alijs culmen est & meritorum tholus; illi nondum ipsa etiam erræ excessit humilia, non decempedâ ambitionis, sed tmensurâ virtutis. Sæculorum in se compendiavit exempla, & congesta tenuit omnia; quæ singula optimos Patriæ commendârunt Cives. Nisi hunc ætati nostræ maxima Superûm servasset indulgentia; Roma, pientissimum Numam; Atheniense Aræopagum, Æquissimum Aristidem; Græcia, Principem Oratorum habuisset Demosthenem. Thaumaturga hæc ingentis animi capacitas, tot singularia comprehendit, & Aristotelicam addidit fidem, pereuntibûs illîs, adhuc virtutum non tolli universale. quod Ille Polono orbi, dari a parte rei, evidentî in se probavit argumentô, non ad Philosophantium prodigia, sed universi. Adeo beatam, tanti Senatoris animam, quæ dubios posteris præ surgentis gloriæ excessu dabit annales, nunc tandem mirari desino: dum ADAMUS TARŁO eadem sublimatus Curuli, altiùs famam suam pulcherrimè extulit, quám ex toto videri queat. A culmine inquam rectefactorum, nubem quæsivit modestiæ, pari sublimium ingeniô: quæ ubi in montium supercilio steterint, aut pupillas intuentium excedunt, aut fallunt, dum minora apparent. Nemo, hactenus meritorum radijs serenus, noctem Atticam dormivit; nemo Magnus audijt, sine ambitu laudis; sublimis, nisi elatus nemo; nemo affines superis virtutum conscendit vertices, ut oculos, vultus, oraq; populi effugeret: sed ante hunc Purpuratum Patriæ Senatorem, nemo. Nimirùm reticeri voluit, quæ fecit: fecit tamen ea; quæ sæcula non tacebunt: ni forte erudiendis Civibus injuriam desiderent. Quippe nihil Hic egit, quod non omnes, dulcî ad illustria accendat stimulo: etiam à qui-

bus virtus amantes bóni ſcintillas, non faciliùs excutit, quàm durior à ſilice chalybs. Teſtor illa publica privataque conſilia; in quibus leviter diſcordes,toties Civium compoſuit mentes, & tenaces illas diſſenſionis animas; non quòd meliora vellent, ſed quia vetare poſſent, aureâ oris devinxit catenâ: ut faciliùs ſibi malè impedita placerent, quàm priùs diſplicuere. Accipiebantur pronîs auribûs, quæ Patriæ ſuaderet, indubia melioris fortunæ præſumptione; quidquid Ille,tanquam ab oraculo prædiceret. Et certe ſperari felicia poterant; quæ tam Polonæ gloriæ eventu, quàm hoſtium cladibûs, feliciora reddebantur. O ſæculi noſtri Decus! poſteritatis invidia! o dignamSupêrum pulvinaribus Animam! quæ pro communi Libertatis bono, tam diu fatigari non potuit,quàm diu vita. Expalluit cum hac Lublinenſis Purpura, & eouſque graviùs gemuit, quòd ſuam & Lechiæ amiſerit gemmam: donec in ILLUSTRISSIMO IOANNE, majora inveniſſet ſolatia. Etenim reſpiraſſe jam TARŁONES, ſua olim decora, illo ſpirante credidit; qui ad tanta Patriæ, reſarcienda damna, Supêrum favore datus. Nempe vaſtus Ejus & ingentium capax genius, ita magnarum mentium complectitur animos: ut anterius illud ævum, quaſi in terſiſſima Cryſtallo, omnium imagines reddente, ſpeculeris. Curios,Agamemnonas & Priamos grandi non appendit atrio, ne longo eorum congeſtu, per exporrecta ſanguinis decora, exploratores mundi fatiget oculos: cum cuncta unus comprehendat, & omnia in ſe repræſentet, punctô illicia intuentium, exſatians abſolvensq;. Purpuram; quam induit, ne in Senatu Trabeatæ DOMUS inveniſſe dixeris! ſibi fecit; in qua nihil Phrygia acus, Tyrus aut Arabs laboravit, ſed virtutis Sanguineus ſudor, à cujus tantùm, colore rubet. Regias inter dapes, magnus olim Subdapifer, non alios Patriæ quærebat guſtus, niſi virtutum, optima gloriæ alimenta porrecturus. Noverat enim,potiora hæc Vitelliano apparatu & Cleopatræ poculo, Con-

uivas suos, ita ad Nominis immensitatem saginare: ut quos orbis circumplecti non possit, vix sphæra æternitatis sufficiat. Audivit eum Patria, Regum mensis assidentem, quomodo in facie Majestatis diceret reverenter, audacter tamen; ubi de virtute, necessitate Reipublicæ & conservatione legum ageretur. Æstimavit tam integerrimam Viri fidem, & ut pro Tribunali talis sederet Iudex, invitavit. Qualiter eô loci, Astreæ Scipionem Mareschalcus præferat? petulans illud examina pecus! cujus dissoluta licentia, graviorem sensit; quàm greges Admeti, vimineum Apollinis ramum. Sed virgam potius Promethei in Sacris Ejus affirmasses manibus; qua dum insolentes admonet correctionis animas; simul ad modestiam accendit, tam subitò, quàm facilè in convictos desæviat. Sic enim promptus in sceleris pænas: ut omnes velit esse ad virtutem. Unde fit, quòd priùs improbitas decretari se videt, antequam Ille byssos & purpuram; sub qua latuit, respiciat. Nullus enim in Eo generis & dignitatis favor; ni ipsa faveat æquitas. Quid igitur incorruptæ superest Iustitiæ? nisi ut reddat, quod tantæ virtutis est: quam ultra, silet impar calamus; ne, cùm plura velit, quàm possit; magnitudini fiat injurius. Tantùm jam per Palatina subsellia mea processit dictio, & nondum in termino sedit: currendum adhuc per purpurea Senatorum olympia; Castellanæ inquam stant ordine longo revisendæ Curules. Implet orbem famâ, Vox Patriæ Aurea, JOANNES TARŁO Castellanus Radomiensis, & verba de se dicentium intercipit, proprio nonnisi ore ad sufficientem gloriam celebrandus; quô olim toties pro Majestate, in legationibus usus, ut Cyneas pro Pyrrho in Senatu. Edecumatus ingeniô & prudentiâ Vir, tantùm sibi, de assistrice Sedium æternarum Sapientia communicavit; quantum ipse Patriæ, proclamatis Regni negotijs, consilij dedit. Prodigium sanè erat, rebus in extremis Unius succurrendi felicitas, vel inde maximum; quòd ingens revolutio tem-

porum, nihil tam grave tulit, quod ille Herculeîs sustinere lacertîs; nil tam difficile, quod ingenti activitate, resolvere non posset. Magna hæc; quæ dixi Virtutis & Senatus Pretia: sed nihil CAROLO carius, quæ si non æquat; certè præponderat. Vislicia Eum Senatorio conspexit murice, & Oriens fimbriam, imò orbis totus adoravit: dum victrix ab ASCIA manus emedullatos Bellonæ spiritus, & Phænices Heroum, Divino planè robore triumphavit. Etenim, quoties irrequieto Regni procellosi æstu, expeditam ad summa omnia resolvit mentem; ivit in sævissimum hostem supereminente animo, pro Aris & Focis Sarmata Decius, ad cruentam quoq; victimam Patriæ Securitati devotus. Consus ille, idem & Mars, orbi nostro præfuit: si pax redierat; expendebat rationes, quibûs augetur: si bellum; toto in hostes exarsit Vesuvio. Callentissimum Bellatricis Animæ pectus, quot triumphales Patriæ elicuit ignes: tot pietas Numini in SIGISMUNDO Castellano Belzensi, ardentiores suscitavit flammas. Habet orbis sub tanto Nomine, omnium prothotypon virtutum: sed in quo, verus Superûm Amor, primam duxit lineam artemq; Apellis excessit: dum inter purpuratos Procerum Ordines, jam planè ex superioribus Spiritûm, Veriorem vidimus Intelligentiam. Cælô delapsam affirmasses! ni illud Liberalissimus Fundator in terris fecisset, tantùm Cosdroæ artificiô beatius; quòd non sibi sed Numini: tantùm nativa luminum Majestate splendidius, quòd seraphicîs accenderit ignibûs. Basilicam inquam, Zaklicinensis Ecclesiæ erexit Ædem, & primam Franciscanæ Reformationi in Regno posuit, ipse sæculorum & Polonæ pietatis forma, dicendus. Seraphicas inter flammas liberale examinavit aurum, & ipse etiam in cultum Numinis diffluere voluit: postquam omnia; ut cultiores Aras redderet, sanctè dissipavit. Et quid jam quæso hujus gloriæ immortalitati defuit? quam de jure æquitatis mereri, jurant in Crucem compositæ Francisci manus, ne ob stuporem difficilium quæ

Ipse

Ipſe egerit, ſuſpectam annalium fidem, invida nobis (ut ſolet) poſteritas habeat. Perennabit tua o Princeps! fama, quam in Pantheo Deorum locâſti, imò, cùm faciliùs credent ſæcula, unum ex illis ſimulacrum; eâ ſervabunt reverentiâ; quâ Tu Numina coluiſti. Accedit tantis Senatûs ſplendoribus, ALEXANDER TARŁO Palatinus Zawichoſtenſis: & dum lumine cumulatiori accendit, uſq; ad meridiem auget. Virtutes Nomini conferre poteris! illo tamen homeoſis modo; quo ex invicem collatis, majus oſtendit. Exceſſere enim Ejus magnitudinem, ſed eâ metiri non recuſant; ut pateat, quàm alta & ſublimia ſuperent. Non invidemus Pyrrho ſuas in annulo Muſas, ſculptæ erant: vivas in ALEXANDRO habuimus; cujus menti inſederant, & orbi Sapientiæ oracula locutæ. Vidimus eum Divino quodam afflari Spiritu; qui agitandis magnarum rerum momentis ſeriò intentus, ea Patriæ felicitate profuit; quæ eſſet ſupra creditam olim fatorum potentiam, referenda. Vidimus toties, inter purpuratos ſedentem Patres; quibus dum unus accederet, ita augebat Senatum, ut gemma annulum, aut ſuum Planeta epiciclum. Totiſſimus in bonum publicum, non tantùm de privato cogitavit, quantùm pro illo fecit: cujus ætatem ſi ad menſuram meritorum vocemus, fidem in eis evincet, Platonica Annorum revolutio. Et hæc ſunt; quæ deduximus, prima Senatoriæ DOMUS TUÆ PRÆSUL ILLUSTRISSIME Decora! immo ſi deduxiſſe, laudator calamus gloriari poteſt: horum enim fæcunda ab ortu primævo omnis ætas, quot Cælo inſcripta Nomina maculoſis temporum abolevit rugîs! quibus præſens, jam ſacrata potuit adolere thura. Non hic adhuc plenus TARŁONUM PURPURATORUM Numerus; quem noſtra neſcit pagella, Cæleſtes ſæcula doceant faſti. Habent illi, quot Trabeatæ Domus Proceres, etiam ante Agamemnona vixere: at noſtra panegyris nunquam tanto ſufficiet ſyllabo. Ad minora Regni deſcendit Subſellia, ſed in

 ea

ea auxesi; qua Regnatricis Aquilæ pennîs, in immensum evecta, omnem gloriæ supervolat celsitudinem. Huc illa suos calamos! Magni olim, Cancellarij NICOLAI TARŁO, cum aureo Nomine meritorum pretia notatura. Leget hæc fama posteris, & perenniùs æternanti exarabit Cedrô: sed ad eum dolorem animi; quô Julius suspecta Alexandri imagine, cum majora & se ipso & orbe viderit; ut nec invidiâ capi possent, ingemuit. Pallescet tristi ventura ætas livore, sanctè tamen; virtutem enim retroactis temporibus, quòd in hæc non incurrerit, ut eam adorasset; non virtuti invidebit. Consignant CAROLUM æternitati, Regni hujus sigilla, & felices Cancellarij umbras sub Aquila pingunt, ut sæcula doceant; illam etiam expedita, omnibus Patriæ commodis succurrendi fidelitate prævolasse. Quanta enim animi Ejus sapientia! quæ secreta fatorum intelligere visa, quoties bono Reipublicæ consuleret; faciliùs semper optima præstando; quàm nos ea velle, aut cogitare potuimus. Nempe tenuit aurea manu, accensas Regni Ceras, Vigilantior Argô, hæc Polonarum mentium pupilla, & priùs adversa fortunæ vidit molimina, antequam illa Patria sentiret: immo ne sentiret, sæpiùs præmunivit, semper effecit. Et hic jam cautiùs triste procede elogium! cor PRÆSULIS offendes; immo recentes adhuc totius Poloniæ lachrymas ex annuo dolore irritabis. Edissere tamen singultientibûs verbîs, Præfectum Culinæ Regni STANISLAUM, nihil mærori addes; perennis enim est, qualem iniqua nobis fecere fata. Nomen cum dico, Vos Superi testor! quanta jam excessi decora, cum imaginativam de se dicentium antevertunt, memoriam effugiunt; more ingentibus solito, quæ si simul comprehendi nequeunt, breviùs se communicant, ut omnia explicent; blanda Oratorum accusatione, majora ibi inusitatæ virtutis latere prodigia; quàm etiam capacissima mente intelligi possint. Ast prima Panegyris esto! hæc namq; celsissimis suppar, Magnum olim Præ-

fectum

fectum Fratrem PRÆSULIS ILLUSTRISSIMI dicere, & jam satis ad eminentiam Nominis, satis ad gloriam virtutis. Consultissima enim Natura est; gemmas auro, pulchro connectit fœdere, ut se æquale horum prodat pretium, & crescat ab utroq; magna utriusq; æstimatio. Experiri magnificentiam vis animi Ejus eandem in PRÆSULE habes; & quæ hic usque ad victoriam eminet, in illo spectatissimos etiam Civium triumphavit. Implevit insolita Majestate oris, Nobilitatis Conventus, & adhuc pace Liberæ Gentis, profundiùs Divinam Ejus indolem cogitante, de aliorum consilijs sententiam dabat; magis, quam oraculorum apodixim æstimari solitam. Amabant inquam Quirites illum sibi dicere; qui jam Senatum docere visus, cum se Viri gravissimi sapientia, usque ad purpuram proderet: unde rubuit hæc toties à suo,& communi desideriorum æstu; cùm ejus, jam tot publicis negotijs, probatissimæ Virtuti, destinari ceperat. Festinarûnt pro Ea vota nostra; quæ innata tantùm tenuit modestia; donec Cælum, huic non parere, ut genus obsequij doceret; suam pro Trabeis porrexerit Coronam. Dedere hanc Superi, sed in ea oculorum tempestate, qualem solent desuper pluere, dum solem coronant. Credo tunc Lechiam tantæ dolorum vehementiæ succubuisse; nisi par Nobile Fratrum, viva STANISLAI simulacra; suis etiam in mœroribus, majori fuissent solatio. Nempe tenuit labentem IOANNES, mira gratiarũ suavitate; MICHAEL Angelica fortitudine; quorum Achilleo animo, nec impari virtute, jam securiùs, etiam ex toto sustentari posset. Duo hæc Patriæ columina, Heroum ingentes animæ, cultissimarum mentium pupillæ: in quibus plurimum virtus & natura laboravit; ut in utroque perfectionis gradum attingeret. Quidquid Princeps intra sacra horum abdita destinaverit Animus, omnia ad elegantiam sæculi exhibet; eruditionem Patriæ, & admirationem sui affundendo. Viluit olim Romanis Pompeij vultus; aureum formasse

debuerat: & cùm sui æstimationem mereri non poterat, ab apposito gemmarum pretio quæsivit: hacque foris acquisitione luminum; quas intus tenebras admiserit, serenavit. Procul à Vobis, Gemina Poli Sarmatici & Purpuratæ Domus sidera! hæc gemmata virtutis correctio, nihil illa pretiosum ducit, quod aliunde venit, jam ex se pretiosissima; imò renuit tali perfici artificiô, satis ab operosa Indole perfectissima. Et quid jam candori Vestro accedere poterit? qui integer ex ebore mentis, nihil concessit Alcibiadi: quid superest Augustæ Fronti? tota Palladis & Martis Majestas; quam ita suavior gestus temperat Charis: ut, cùm omnia quæ supra admirationem attollunt, jam attigerit decora, benevolentiam in omnes, & comitatem non excedat. Ipse coronatus Vester gratiæ sinus, cortina Delphis omnibus sacratior: quoties Patriæ dabit responsa, gloriæ & fortunæ ejus respondebit. Majora hæc in Vobis omnia, quàm honoribus & purpuris comprehendi possint: venient tamen agmine facto, & singulas virtutes, singulæ coronabunt; frequenti numerô, incapacitatem suam pensaturæ. Diceret ampliora Nominis Vestri elogia Orator, sed tantæ serenitatem gloriæ prælibantis, ea luminum effusio perstringit oculos, quæ curiosam à sole arcet pupillam. Poterunt jam Regni Aquilæ, Vestris in splendoribus suum explorare visum, & meliùs quàm ad Phæbum educari; ex quo faciliùs ab his ad illustria meditamenta, & immortales ausus incallescere. Intendant illæ frontis suæ aciem, dispiciantq; pleniùs: me à tanta Majestate, quam collectæ undiq; gloriæ immensitas auget, propriæ exilitatis remittit conjectatio. Quantum verò accedit gratiarum paginæ à JOANNE! quot indistincta à Magnis TARŁONIBUS gloriæ incisa, longas implent periodos, sub tanto Regni Incisore. Inter Erythræas Patriæ gemmas, Unio hic sine pari, bene Polono Diademati suum expendit pretium: & nunquàm à primis SIGISMUNDI favoribus divisionem passus. Regum hic partitus mensam, qui affectus

colle-

collegerat: instructas Patriæ scidit dapes, quem nec vitæ dispendium, à commodis ejus rescindere poterat. Hoc in IOANNE, hoc in NICOLAO M. D. L. Pincerna, dignum laude æternitatis notamus. Felicior Iovis Ganymede, pretiosa Antonij antevertit pocula: Regnum ille bibit Magnus Ægypti heluo: hic Regno, tota, in publica ejus negotia effusione sui, optimam salutem propinavit. Propinavit in sanguine hostium, quos ut Patria & vita fugaret, armatas ære proprio, aluit cohortes. Retulissemus jam Eum, in illo purpurato Patrum Senatu; talem enim merita destinabant, sed perpetua moderatio, solo Ministri contenta titulo, maximum honoris elegit gradum, Patriæ servire. O Viri modestia! ô admiratio! nolle fastigia, & mereri: provocare purpuras, & non admittere: acsi primum jam esset virtutum præmium, non præmiari. Tantæ rerum intentam sublimitati, dum teneo mentem, altiùs se tollit; ut spatium capiens, profundiùs Cæleste GABRIELIS Nomen, & Angelicas adoret virtutes. Magnus ille Dapifer, condire Regias Bonæ Sforciæ dapes, optimè scivit; cujus vitæ innocentia, nihil crudum; colloquia ad modestiam composita, inter illas distortas aulicorum voces, nihil gravi non decoctum animo, admiserant. Emedullata hæc Virtutum portio, omnem in se collegerat dulcedinem; movitq; totius Aulæ palatum, ut placeret; cui sæpe suaviùs arridet morum abominatio, & sola pietas ad nauseam. Impleri jam vel ex ipso Dapifero poterat tunc Lechia, in quo sæcula nullam gloriæ sentient famem; quibus optimos æmulæ virtutis excitavit gustus. Nempe inveniet, quod ex eo omnis prælibet ætas, & hoc sibi ad immortalis satietatem famæ sufficiet. Divident enim inter se sæcula, quod unus egerat; & adhuc rectefactorum amplitudinem non æquabunt: cujus singula vitæ actio, distinctam implet æternitatem. Si jam hic nostra subsisteret Panegyris, & vel in GABRIELE tantum Semideorum clauderet agmen, facilè orbis de Excellentia TARLONUM

conjectare posset; cùm in Cælestes virtutum Duces, celsissimam desinere Domum; observaret. Augent tamen adhuc, ut numerum; ita gloriæ Majestatem, magna Capitaneorum Nomina, & ampla merita; quæ angustis claudi repagulis non possunt: omnem mediocritatem dedignantur. Supra nostrum elogium, tot decora; quorum etiam confertissima multitudo, grande ejus tormentum, thases; in theses commutat: quidquam ne orbis vidit magnificentius? Gosczynensem primo Capitaneatum evolvo; eò enim illustrior aliis, quò plures tenuit TARŁONES: nec tantum placere non potest, quem illi commendarunt. Surrexit altior purpuris in CASIMIRO; coram quo supplici cecidere casu, ut ita venientes admitteret: accrevit sublimior in accrescenti IOSEPHO, quantumq; sibi ab eo accesserit; explicat in AADAMO magna magni Parentis (adijciam) & ipsius virtutis prole. Quippe tantùm cum hac communicavit, ut totam exhauriret naturam: quo se movet, quid agit, quæ dicit, virtus est: ex quo genuinum ejus partum ut credimus, affirmabis. O felicem tanto Julo Æneam! in quo maturuerunt spes Patriæ ante ætatem; quam cana morum gravitas, prudens rebus in agendis solertia, non expectavit; & cum nondum per annos posset, fecit grandævam. Metimur ex sidere vultus Tui, Paternæ gloriæ meridiem; cujus radios dum in Te reflectis, auges; ut jam æternitati sufficiant illustrandæ. Capacitas animi, magnitudo Patris est; totam in Te reposuit, ne iniqua nobis tanti Viri fata, fortunam Patriæ minuerent. Expectat illa ab Honorio, quæ Pater Theodosius postquam ingentia excesserit, maxima provocavit: & sperari ea possunt, quia à Te. Coronabit capacissima Tua Indoles, tot Patriæ vota, sed illam purpuræ; quæ Te sibi etiam invidebunt; cum illæ Paternis, illæ tuis destinatæ meritis convenient. His ego Te relinquo: facient enim in magnæ virtutis elogium atram Oratorum purpurascere sepiam, & dum se affundent, copiosior continget Panegyris. Erigit Domus

mus Vestræ incrementa gloriæ, Stator Polonæ STANISLAUS, Sochaczoviensis Capitaneus; in quo præterlapsis ad invidiam ætatibus, venturis ad prodigia surreximus; hosti ad terrorem, fortunæ ad securitatem. Obstitit ille lacertosis Anthæi robustior viribûs, & orbem Patrium vetuit labi, quoties timuimus conjurata in nos ruere fata; ne cuncta in præceps ipsius vehementiæ impetu non urgerent tantùm, sed detruderent. Erat; quòd procelloso Regni motu cordatissimi etiam trepidarunt heroum; dum ingentes Martis Animæ, sub infausta temporum mole detumuere in Molones; & desperatis Patriæ rebûs, nulla Iunone Athamantes, priùs suis inhiabant vulneribus, quàm illa acceperint. Fuimus tunc deserta planè in Urbe, cum nullus propugnandæ securitati occurrerit: occurrit STANISLAUS, & inter quæ discrimina, fortissimi etiam deposuere animum; ipse majorem sumebat, quô altior periculis emineret. Quippe illa excelsam mentem occupaverat cogitatio, quòd mallet potiùs, malis publicis immori, quàm fatiscenti in arduis Patriæ non subvenire. Gloriari per sæcula tanto Cive poterit Lechia, cui SIGISMUNDUM Pilznensem Capitaneum si adjunxerit, magnis grandia componet; & Par sine pari ad selectissima virtutum porriget exempla. Regias à Nomine tanti Viri collige dotes: nihil enim non illo dignum, quia summa omnia egit, supra quæ nemo ascendit altiùs; nisi qui super Astra. Et hoc est, quod inter minora Regni subsellia non Palatinas miscere Curules, non honorum summitatem quæsivit, maximam nactus ex se ipso. Triumphalia ILLUSTRISSIMÆ DOMUS arma, aciem sibi indicere ratus; totus ad Bellonam transijt: ita tamen; ut nec Palladem à se excluderet. Militare illi viaticum, idem quod Macedonico Principi, permistos gladijs libros, continuâ manu tractavit, Ipse maximis voluminibûs tractandus, suavissima integrorum historia. Sæculorum eruditionem collegit, imo quidquid omnis ævi elegantiæ vidit, altissima mente complexus: sapuitque ex Tripode;

nam oracula dixit. Stupor est præsentium temporum, tanta sapientis animi immensitas; CAROLI tamen, capacitatem non excedit: hanc enim dum explicat, illam ex toto comprehendit. Magnus nempe Stezycensis Capitaneus, castella tueri professus; bene Cecropias communivit Arces: nam forti & erudito pectore; cui Musas & Palladem inclusit, ut delicatum fieret domicilium. Quid illa naturæ beneficiô collata venustas? quæ adhuc in suo Juventutis vere, florem elegantiarum spirat; & quo Orbem odore implet, dulces Principum allectit amores. Nimirum grande affectuum illicium est, eruditos Ejus congressus petere, cùm plena annalium memoriâ, dictorum gravitate, exactas implet & compendiat horas; quòd plurimum attonitæ audientium mentes jucundentur. Triumphat matura oris suavitate, tot Civium corda; mox consiliô, & eloquiô, Magnus Senatui Tullius. Quodsi his Magnorum Capitaneorum dotibus, dulce est immorari, quantò verò dulciùs, FRANCISCUM Vielunensem & Pilznensem dicere, qui heroicarum virtutum epitome, & succosa dulcoris voluptas, totam omnium depingit Majestatem. Pulcherrimam in Eo, extra Poëtarum figuras, Oratoris penna invenit Synæresim; quæ in pluribus compositas laudum Syllabas, ita in unum coarctat, ut simul proferri debeant; quas ante distribuimus. Lege singulorum elogia, & hujus esse reputa: excelsas omnium comprehendit dotes: quidni & panegyrim. Procul hîc áb humanis excessit elevatior virtus, in qualibet specie perfectissima, tantùm pietas eminet, ut aræ Divorum; tantùm Amor Patriæ, ut Regum Majestas; tantùm eruditæ mentis indoles, ut splendor sanguinis; augeri ultra non expostulet. Fortitudo animi suum fortunæ ademit nomen; nihil enim cæcum hoc Deastrum in eam potest: si lætiori cachinnatur vultu, reciprocis non arridet illicijs; si sudum frontis in nubes, & fulmina contrahit, terreri non potest. Ita inter prospera demissiùs agit, ne se efferri sentiat; ita inter adversa assurgit, ut gravibus non

suc-

succumbat. Maximus sane Sarmatiæ heros, adeò augustam,& tenacem sui induit mentem, ac si in adamantem obriguisset; ex quo talem se Genti bellicosissimæ reddit, qualem jactabundæ opponens Macedoniæ, exornandis Senatûs purpuris, non fimbriam, sed sua ferat phylacteria. Fatisceret jam sub tanta Nominum celsitudine, humi reptans facundia, ni se ultra provocari videat; majoresq; tenuitati persuadeant ausus, inquietæ per auras castrorum Aquilæ; quas quoties triumphalibus IOANNES signis,& ADAMUS victoriosa explicarunt manu, extra priscæ credita superstitioni auguria, manifesta jam eorum magnitudini, jam nostræ felicitatis legimus indicia. Prævivere hi Polono Marti Sandomiriæ Vexilliferi; & assultantibûs per aerem Aquilis, medios inter militarium machinarum fragores, plausuum lætitiam,& trophæorum gaudia, nuntiabant. Ibant toties Lechica horum in comitatu castra, & comitem habuere fortunam; non aliam hosti prædam, nisi dedecus, & fata relinquendo etiam, cùm in aciem prodière, virtute non numero pugnatura. Secundos nimiùm Reginæ Alitis vidimus volatus, attollente elevatius Leopolis labarum, uno & secundo IOANNE, cum quibus transivimus illuc gloriosi, quò nondum ante Polonorum fama attigerat. Primos illi ad palmas, egerunt Præcursores; & prævolare hostis non poterat, quamvis enim exercito alibi stetit passu, horum in agonijs, adhuc non pede moto cespitavit. Ivit tamen aliquando velocior, sed in fugam; ne dum vita spoliari ceperat, omnem cum hac amisisset ornatum, illam adornavit. Porro tantùm supra erectas hostium cervices, postquam superbam, humo allisere frontem, magnus heroum ascendit animus, quantùm priùs supra ipsa pericula, & mortem etiam, qui nunquam se diutius victuros æstimarunt, quàm si pro Patria occumberent. Sic inter fortes funerum contemptus, per cruenta hostium cadavera, vitam quæsivit Patriæ, NICOLAUS TARŁO, Vexillifer Præmisliensis; cujus ingentem vidimus bellandi ardorem,

majoribûs æſtuâſſe flammîs, quàm illud Scævolæ patiens ſupra focum incendium. Exarſit hoc igne callentiſſimum Herois pectus, ardens cum Æmilio Civem ſervare, ferire hoſtem, & Victrice Domûs ASCIA, continuum cruoris effudit rubiconem; ne aliquando otioſam, mortifera fedârit rubigo. Poſſent hîc gentium & orbis Domitores, militare adhuc ſub ſignis ejus tyrocinium optâſſe, ſive gregarijs militum commiſceri turmis; quô nihil potius priorî titulô elegiſſent. Haberet enim Alexander, invenirent Fabij, viderent Decij, quod in tanto Duce diſcerent, mirarentur, imitarentur. Imitari certè volet poſteritas, ſed nec extremam eminentiſſimæ Virtutis tanget fimbriam; nulla enim laborum capacitas eſt, quàm non ſit ſupergreſſa. O Heròés! o Numina! tantum de vobis ſcribimus, & nihil adhuc: fatigamus ſæcula, vel ſola nomina excerpendo; & vos ipſam æternitatem tenetis, ut pari ejus comprehenſione ſufficiat nemo, computandis. Grandem jam TARŁONUM produximus numerum, & longior adhuc ſupereſt. Acuit ſuadæ ſtylum nativo, & tutelari ferro, Iudex terræ Leopolienſis PAULUS; & faciliùs quàm ab aurea Herſoneſo ingens effoditur metallum. Nimirum ſola hic de eo pretia affert Orator; nihil enim non tale egit: gemmas & aurum accumulata præponderant merita; nec parem virtus æſtimationem invenit, quam grandior ipſa non excedat. Appendit hanc ad bilancem æquitas, ut ſemel pro Iudice, qui ſemper pro ea fecit; & cùm pondus illud una poſuerit parte, Cælo porrexit alteram; nunquam aliter niſi à cimmelijs ejus implendam. Congeſſit in eam toties ſua orbis munera, & inflecti non poterat; ea enim detinabatur gravitate, ne onus ſentiret Iuſtitia. Intemeratè illa hoc Iudice ſervata, grandes honorum contemptus, & magnæ virtutis injuriam, in HIERONIMO & ANDREA TARŁONE, ſic per ſæcula inſtigantibûs meritîs, decretabit. Minimè palliata probitas, omnibûs ornatior purpurîs habeatur, auratîs celſiùs promineant Curulibûs,

hono-

honorarios ſupra aſcendant faſces; quibus ijs fulciri perpetua negavit modeſtia. Nempe deſpectatores honorum, viſendis ab alto faſtigiis majores cenſeri, & mentem illam in imum demiſſam, ſupra omne ſupercilium tollere; unũ in tam humiles exceſſus habemus ſupplicium. Quamvis maximos hos Heroum, abſque Murice proceſſiſſe, palàm orbi dicere, ipſæ hoſtiles Getarum indignantur animæ: ſuum enim ad guttam profudêre ſanguinem; ut purpuraſcerent. Trabeam hanc, à grandi cruoris pro fluvio, parta ſudore ornarunt conchylia, quæ HIERONIMUS plenis Podoliæ involvit faſcijs, quoties ad propugnandam, Sarmaticos Martis tenuit faſces. Terreri illa nullo armorum poterat ſtrepitu, & tot petita jaculis perfigi nunquam, cùm pectus illud, quod pro ipſa ſtaret, marmoribus riguit; devotô olim caucasô infractum. Et certè exſpiraſſet toties inter pericula, ni forti ejus vixiſſet ſpiritu; cui promptioribus ſuccurrit victorijs, quàm Cincinnatus Minutio; validius defendit, quàm Cottam Chalcedone obſeſſum Lucullus. Quanti verò voluminis eſſet, plures Bellonæ recenſere Alumnos; qui ſatis illuſtres ab armorum nitore, affulgentes honorum ſprevêre radios; ne cumulato lumine, pupillam lædant, perſtringendo. Ludentes innocenter Paternis adhuc in Ædibus Iulos, vectigali proſequi calamô, ingens labor, parcit illis exigua Panegyris: nobiles enim perennaturi marmoris animabunt cælaturas. Porrò multorum Nominibus, & glorioſè geſtis impar ſcribendo elogium, connexa ILLUSTRISSIMÆ DOMUS decora, quæ purpurea colligatione, Sanguinis ſociavit affinitas, momentum ſplendoris ingens, ſub obſcuro colligit atramenti. At quæ hic ejus effuſio OPALINIAM Maternæ DOMUS proferet cymbam, æquoream profunditatem eſſe neceſſum, quam moles illa, à ſuo gloriæ ſubintret continente. Onuſta hæc navis, non unius Cæſaris vehit fortunam: Regum Coronæ, Ducales Mitræ, Tyaræ, Faſces, Clypei, & Purpuræ, paludamenta, nativa ejus mercimoniorum pretia. Imo non

 eſt

non est pretium, quod illa non tulit, vel non faceret ferendo; inæstimabile. Produximus PRÆSUL Optime! DOMUS TUÆ Senatum, & alterum jam habes: splendoribus suis, quos Maternæ accendunt ceræ, magnificentissimum. Quippe ILLUSTRISSIMORUM de Bnin COMITUM, claritudo Generis, usque ad trabeas Regum, crevit altior Tiaris; Palatinas ornavit Curules; Castellanorum insedit solia; (prodigium eminentiæ!) omnia dignitatum implevit officia. Nihil de ijs cogitari potest, quod non à gemmis purpuræ pretiosum: quod non ostrò senatoriô indultum: quod non serenitate gloriæ illustre, æmulos Cælo accendat splendores: nunquam familiari cujusvis supercilio, sed mentibus solis visendos. Afferret singulatim calamus, magna Procerum Nomina; & esset satis ad eminentiam: sed selecta tantorum frequentia, numerari non potest, æstimari debet. Sufficit o PRÆSUL! sic Te natum ex utriusque Parentis DOMO innuisse, quarum altera nihil majus, altera, nihil speciosius Polonia habet. Sua hæc intra sacros Penates Tuos, omnium Familiarum conclusit decora; quæ orbi in aspectum producere, longa ingeniorum fatigatio. Atlantes poscit; tangere enim ea si accedimus, totum movetur Regnum. Succumbere tamen, quamvis gravet illustre pondus non timemus; Regio SOBIESCII fulciunt Sceptro. Nempe suum ASCIÆ colligavere Umbonem, ut consanguineus Throno Serenissimi IOANNIS III. nexus, palàm faceret; nec unô à Regibus soliô TARŁONES distare. Pone hinc WISNIOWIECCIOS, LUBOMIRIOS, CZARTORISCIOS, Sacri R. I. Principes: inde RADZIVILIOS, SANGUSZKOVIOS, ZBARAZIOS, OSTROGIOS Duces, & orbem Christianum circumspice, si quid in eo augustum, quod huc non intret: si quid excelsum, aut summum, quod Celsissimi TARŁONUM Sanguinis non tangat communio. Quantula hæc Nativæ Majestatis portio! & jam omnes Serenitatum supergressa titulos: fastigiorum transcendit tholos, splendores ipsos

ignium

ignium prodigia fecit: quales nec Ætna, aut Lypara, ruptis à pectore cautibûs, eructat flammas. Lumina tanta DOMUS cerni cùm Sole nequeunt: quid pupilla? cum affines Astrorum huc ibunt concursus. Veniunt, magno Numero, TENCZYNII, OSSOLINII, KORYCINSCII, SIENIAWII, SZEMBECII, GODZCII, POTOCCII, CETNERI, LESZCZYNSCII, SAPIEHÆ WIELOPOLSCII, LANCKORONSCII, LIGĘZÆ, CHOMĘTOWSCII, PRZEBENDOWSCII, & orbem Lechicum in comitatum trahunt. O Genus affine Cælo! o DOMUM Cælo majorem! cui tot orbis Europei serenitates innituntur, & adhuc ignota oneri sustinet omnes; quæ singulæ Solis etiam Regias fatigassent. Vide o Magne PRÆSUL! quàm latè Tuæ propaginis arbor, collaterales porrigit ramos, ut sub umbris ejus, tota recumbens Polonia, dulcî nimiùm jucundetur topiô. Quid nobis? quòd tot anni injuriaverit partes, perpetuus Phæacum autumnus: aut auriferas Hesperidum tempe ostentent vites: nihil inde; quòd Orbis rapuêre pupillas, pensiles Assyriorum horti. habet Lechia quod jactabundæ gentium fertilitati opponat: una DOMUS TUÆ Arbore, ipsa voluptatum Paradisi, excedit affinia. Altissima hæc, Cælo palmarem immittit verticem; nunquàm exporrectæ quantumvis ingeniorum celsitudini, herbam ex se porrectura. Depingi non potest, tot volumina implet; quot folia computat: quibus semideorum inscripta Nomina, cogitationes Oratorum excedunt, ac in Te clauduntur: capacissimam hinc nullô etiam Homerô, nacta Iliadem. Non ergo ultra o PRÆSUL! Majorum accendimus ceras; quarum tu coruscans probitate scintilla, & grande honorum & meritorum incendium. Relucet in Te, quod in illis singulatim refulsit: & cùm omne illud comprehenderis illustre, Tuîs adhuc splendoribûs auges; ut stupor ante, & excessus gloriæ, miracula fiant. Tuæ divinæ prope Indoli, debet se Natalium Majestas, grandi virtutum, & meritorum accessione cumulatior; non Tu

Natalibus aliquid; tot ampla Domus Decora, nisi Tua facta sint, nulla existimans. Nimirum ex inauratis Lucinæ cunis, Purpuratum prodire, segnibus tantùm animis, otiosum ad perpetuam noctem pulvinar; quam vivæ mortis imagines securè indormiunt, cùm satis se vixisse adhuc in suis Tritavis, longissimè respexerint. Magna ejusmodi Thrasones, splendoris injuria; in quibus augusta sæculorum claritudo, nubem invenit: adeoque cæca voragine sorbetur, ut nec fimbria lucis, ultra suas inveniat rimas. Præludunt illis tantillum, illustres Parentum Ceræ, sed pro cereis funerum accensæ: infando orbis dolore, sibi suæque parentant Domui; dum putida hæc, avitæ famæ, & Nominis cadavera, offenderint. Efferuntur ad tumulum, adhuc Indorum nati, quia nulla virtute noti; & Divorum justa dici possunt, si tot sacrorum Penatum sepulchra, incapaci effodiantur in urna. Et tales sunt profectò Majorum suorum vespillones; in quibus fons ipse luminis deficit, quòd parem, ad illustria meditamenta deposuerint animum. Facilè utique Cælum usque ascendens decrescit flamma, si ei continua non admoveris alimenta; & quæ non pridem, ad delicium lampadas solis æmulari visa, mox de cineribus suffocato carbone, ad gravem oculorum molestiam fumabit. Accensîs Romani triumphalibûs superstitiosæ pietati rogîs, ne illa luminum serenitate, postera deficeret ætas, traducî à Superis ingeniô, custodes intelligentias Vestales, ardentibus deligebant focis. Sic volunt Majorum Ceræ delicatè tractari; nostrîs aluntur virtutibûs, moctrice ingentium operum servantur indole; quòd si eis nihil adjecerit, laxantem colligunt comam; & nec tantùm etiam posthumæ relinquunt memoriæ, quòd olim arsêre. Abortiva hæc naturæ monstra; in quibus illustres luminum ortus, dum vix meridiem intrant, denso nubium exagitati tegumine, profundiùs occidunt. At verò Illi semideis proximi, Divo Parente Jove, non indigni Apollines, sive Æneâ Iuli, qui semel acceptum à Majoribus

joribus

joribus ſuis genethliacum ſplendorem, vivis meritorum augent radiis, adeoque; illimem ſervant, ut Solem dicere poſſis, eò gratiorem, quod notas; quas ille quô casû contraxit; non habeat. Pulcherrimum hoc, & feliciſſimum in Te o PRÆSUL! videri poteſt; qui maximum à Majoribus genus, tantum rectefactorum imples amplitudine, donec ſuperes & vincas. Et hinc etiam, quos ſequi videris, Anteceſſores præcedis; aliorum enim colligere veſtigia, exiguum, nec Tuæ magnitudinis cenſes: ampliora, dum Tua æternitati imprimis; quæ poſteris imitationi ſervabit: dicetque hâc virtutes proceſſiſſe omnes. Nec dubiam faciet fidem: faciliùs enim, vel ſuis teſtimoniis credent, dum modicos emetiri paſſus, ad ingentem optabunt gloriam; & amplioribûs uſque ad fatigationem Olympiis, nunquàm aut rarò poterunt. Hæc nos virtutis Tuæ ſpatia, præſagientis divinatione animi, cùm necdum è cunis exceſſiſti, orbis ſibi theatrum, requirere vidimus. Stupuimus tenellas corpuſculi anguſtias, illam jam præferre Majeſtatem, qualem cùm difficilè in alijs, ſolicitus annorum labor, per longa effingit faſtigia; pendebant vultus, oraque Procerum à frontis Tuæ liliato candore: ut ſolent à floribus apes. Provocaſti inde omnium auguria, & magna de Te facilè percipientibus; majora promittebas: ipsâ etiam naturâ, majus quid expectante, quàm dederit. Irritaſti tunc cogitationes Principum, qui cùm parem ſibi in Infante vidêre animum, luctari meditando cæperant; numquid æquale futuræ magnitudini prædicere poſſent. Summis maxima, maximis ſuperaddebant majora; & nondum ad aures Orbis dicere auſi; & ſi nihil jam ſupereſſet altius: cùm hæc minora adhuc indole Tua cognoſcerent. Quilibet tamen ſibi vates, & augur extitit, ſapuitque ex Tripode; quòd Tu, quæ ſublimia animô deſtinabat, intelligeres: jam enim manibûs eluctari, jam dextram porrigere videbaris. Contendit virtus, & natura, adhuc in flore de palma; vulgaribus Te beâſſe donis, parùm exiſtimans ni

K pro-

prodigiosa sufficissent. Miracula in Te utraque exhibuit, ut postquàm admirationem omnium excesserint, Tuæ tantùm capacitati paria haberentur. Nimirum non illa expectavit tempus; non hæc annos: unusque Orbi documenta dedisti, immaturam ætatem, virtutum posse autumnare fructu: & cùm nondum dierum calculo, meritorum saltim, grandævam videri: sic inter bullas, & crepundia tractari ea; quæ senilem poscunt animum. Hæc Tuus vix à fascijs evolutus egerat, provectiori ad altiora desideriô, humilia & indecora, tanquam jam intelligeret, cùm nondum posset, occulta quadam dissimulatione contemnendo. Prætextam; adolescentum decus, nunquàm Te induisse, probata morum declarasset Majestas, si absq; hac, incessisset modestia. Nempe sola Te hæc juvenum virtus, quæ ad grande spectaculi illicium, oculos, gestus, & totum efformaverat corpus, Ephebum adhuc prodire visa; cùm Virum audirent universi. Crevit tecum indoles: semper tamen præivit ætatem; quam non primæ eruditionis tyrocinia, non præceptorum tenuit expectatio. Magis à se, quàm à Magistris adjuvari solita, faciliùs comprehendit difficilia, quàm illi explicârunt: & cùm adhuc docere vellent, jam scienti omnia loquerentur. O cæleste Achillis ingenium! quô nihil Chironi desiderabilius: Musis, sibique ad delicia efformatum, non longam dierum solicitudinem. Nulla enim profectûs Tui admiseras tædia, mox Cælestem entheum, mox spirabas Apollinem: non sensim, sed ad magna natæ mentis exacta promptitudine, suaviter in Te complexus, quidquid pietas, ad Divorum cultum; industria, ad ingeniorum polimen; doctrina, ad sæculi elegantiam; nutrivit, excoluit, produxit. Quæ Tua erat eloquentiæ Majestas? quæ à fontibus Tullij ambrosia? prælibare adhuc magna suavitatis perfusione, avidæ Procerum gloriantur aures; & eo superos loqui ore, usque ad juramentum enuntiant. Attica Platonis mella, concedunt Tuo eloquij Himetto; si spectes dulcedinem: fata, Cælum, &

hostis

hostis concedunt, si utilitatem; quæ suades: necessitatem; quæ mones: securitatem; quæ promittis. Ægyptiam aliquando Memnonis statuam, solis ad aspectum dicere Pöeticus audivit orbis: silent ad Tuum Oratores, emortuæ triumphantis eloquentiæ statuæ. Nempe procul à suis recedunt sensibus, dum Tuorum subtilitate tenentur, nunquàm diviniores quàm frequenti hac sui amissione, habituri. Tam mellitâ facundiæ linguâ (quod nunquàm cogitasti) Ossolinium nobis in Te persuades, cujus magnæ eruditionis fasces, à Tuis metimur. Dedisti hoc omne Poloniæ, quô illa in suo Tullio gloriari potuit: unde accrevit animorum cognatio, quam Domus ipsa inchoaverat. Quæ verò hæc Verborum parsimonia, doctam prædicet liberalitatem dicendi? cujus singulæ voces, gemmea pluunt pretia, his Lechicum Orbem ditaturæ. Infusus jam fontibus Oratorijs Euripus, quodque olim lymphâ imaginem reddente, dulces PRÆSULIS ferebat vultus; adhuc sua felicitate superbit: & ad partem panegyris venit. Iactat fronti huic sua Aristotelis commodâsse conchylia; quæ nunc gemmas Tiaræ, decus addidit purpuræ: & suum orbi elogium loquitur, non ipsam Thetidem pretiosâ supellectili, ornandis Regum prodesse coronis. Et certè non tantùm fluctivagus Dictys, licet erythreis naufragetur sub undis; aut aptior Indus à depositario naturæ colligit sinu: dum onusta præda diviti manû, felix quòd non ipse periculi spolium, expectantes enatat ad ripas: quantùm tu illud; quod arcano apud Platones, Aristoteles tegitur, vastissimi capacitate Intellectûs extraxeras. Absorbentur aliorum mentes, vorticosô difficultatum circuitû; Tua immota stetit: quàmvis ad usque fundum abyssale veri scrutareris profundum. Bibisti ad satietatem de hoc latice, nunquàm tamen ad tumorem: scientiâ enim afflari nesciâ, ita supra alios eminebas, ut humili de Te sensu parem omnibus faceres. Fecisti; sed Tuæ ipsius modestiæ, non mundi æstimatione, qui Angelicum divinioris sapientiæ captum, dum in

Te capere non potuit; unum de numero Intelligentiarum credidit, quòd cuncta ultra hominem intelligeres. Serenissimum Aquinatis solem, qui nunquàm à sacro pectore dimoveri patitur, in Tuum transmigrâsse vidimus, ut felix tantorum luminum horoscopus fieret. Nempe crystallina mens Tua, diffusos latè Angelici Doctoris radios, centrale collegit ad punctum,& sinum lucis Thomisticæ fecit. Non erant Sacra Theologiæ arcana, quæ Tuo non includeres pectori; ut se ampliùs panderent, & paterent ingenio: non erat speculationis altitudo, quam elevata subtilitate mentis non ascenderes; summus Aquinaticæ Summæ Comprehensor. Si Personas in Trinitate distingueres, distinctos audientium uniebas animos; quòd una omnium, & augusta fueras cogitatio. Si de voluntate DEI discurreres, mentis Ejus interpres audiebas: si tractatus de virtutibus disceres, leges Tibi scribere videbaris; semper sub ijs victurus. Quare præcellentissimus ille animus Tuus, cùm è Cælo Patrio, tantum jam attraxerit luminis; splendorem non ut acciperet, sed inferret; exoticas fatigavit oras, phæbeo passu cultissimas Europæ lustrando Gentes, illustravit. Et sanè excessisti magnitudine gloriæ,Regni hujus terminos; nec major teneri poteras: certare de Te, peregrino suggessimus orbi, parem non habituri Poloni Nominis, ac indolis nostræ, mensuram.Dedit Te Patria exotico Soli ad lucis invidiam, quâ in adventu Tuo expalluit,quod splendoribûs suìs non tantùm posset, quantùm Tu affulgeres. Provocasti in luctam exterorum de nobis judicia, & Tua promotione causæ, gloriosi in illo triumphavimus foro,postquàm laudatissimam de Polona animorum elegantia,tulimus sententiam. Multùm gloriæ nostræMajestas,Te illic Hospite valuit: quoties enim exteri avido intuendi desiderio, attonitos in Te defigerent oculos; patritiam ijs affudisti lucem, & sole suo Majorem in radio vidêre. Ea, verò oræ illæ felices, quibus Te intuleras, plaudebant lætitiâ, ut gaudia sua non caperent: rursum,excessit mæror do-

lendi

lendi modos, dùm Te abire ſentirent,perennisque luctus irritamentum erat; à præſentiſſima adhuc Imaginis Tuæ pendere memoria. Pendebant tamen omnes, & toti pupillæ vivam eſſe deſiderarunt ; cæterorum fortunæ invidendo; quibus Te diutiùs commodabas. Sumebant enim ex Te peregrinæ Gentes; quas tranſibas: quòd alijs oſtentarent, quos ad morum elegantiam inſtruere vellent: cuncta enim exhibuiſti ſpectatiſſima ; quæ adhuc Palladium omnis experientiæ illud latuêre. Per vices itaque Te ſibi promittebant,exteræ nationum porrigere Gentes, ut omnes ea attingeret felicitas: prius tamen ubique fueras antequam veniſſes: ſed quia totum fama pingere non poterat, major occurrebas. Divino quodam jure, vera gloria unius loci anguſtijs, contineri non poteſt: toti ſe communicat Orbi, ubique præſens, ubique nota. Adiiſti Italiæ & orbis Caput, ut mentem Ejus pro DEO, & Eccleſia haurires: veniſti ad PETRAM, ut Apoſtolicum zelo fidei pectus ſolidares; quod dum jam ſuſpicit hæreſis, expectat ultimam Te PRÆSULE cladem. Ut verò Tantum Advenam ſalutavit Romulus, profluxit Tibi à Tiberi major gloriæ, quàm aquæ ductus; poſtquam Roma ejus circumallui poterat amplitudine. Conſulares iterum in Gentilitia Securi adoravit Faſces,& ſæculorum memoriam fatigavit : quidquam ne hac plus habuêre illi ſplendoris Majeſtatis? Sed deſideriô pretiôque Tui relictô in Urbe,flores Galliæ miratus: poſtquam ex ebore niveæ mentis, liliatum horum ſuperaveras candorem; quem etiam emendare potuiſti, ad politiorem Orbis amænitatem; jam omnis eruditionis gloriâ Florentiſſimus. Ver in Te ſuum Regni Ejus habuêre Lilia: quidquid Lutetiæ, Sorbonæque cultiores reſponderunt Delphi,exhauſiſti: unde nihil ſæcula ſapient, quod Tuæ non referent gazæ. Totam tandem emenſus Europam: longiſſimum iter Olympia Tua oſtendit, & Patriæ tædia irritavit; quæ Te optabat veniſſe maturiùs, quô citiùs deſiderabili ſolatiô frueretur. Rediiſti ad nos o PRÆSUL! & omnes

 exceſ-

exceſſu lætitiæ ultra orbem, extra ſe abiêre: tenuitque attonitos inſolita quædam voluptas; magis tamen Tua Animi magnificentia; quæ Regnum admiratione, ſpe Patriam, famâ implêrat Europam. Obviabant Tibi feſtivo Urbes noſtræ occurſu, cùm, plaudentibûs undique populîs, vias omnes, quà in Patriam deſcenderas, magna virtutis Tuæ admiratio cæpit: quantoque magis ad omnes acceſſeras, creſcebat apud omnes magis. Suaviùs erat interea nobis, Cælum frontis Tuæ, quam Solem dignari aſpectu: pleniori enim felicitatis noſtræ manabat amyſtide. Quis referat? pulchriùs Principum purpuras ad Tui conſpectum fulſiſſe, quaſi ſuam in Te felicitatem intelligerent, etſi ſenſum negavit natura. Quis confluentem in horas Procerum multitudinem, feſtivos ſalutantium plauſus, omina voces? quis referat? quo ſermone, qua cogitatione, grande ex Te aliquid, ac propè Divinum Polonæ præſagiebant fortunæ, univerſi. O ſi per naturam licuiſſet! vidiſſes illa, à deſideratiſſimo aſpectu Tuo, cordium tripudia; nec facilè componenda quamdiu ea, vocis ac vultûs harmonia, incitabas: advertiſſes Te ambientium alloquii ſtudia; quo Principes animi exſatiari non poterant: cognoviſſes etiam, quæ erat ſecreta Procerum indignatio, dum illîs plurimum in dulces affatus diffluentibûs, novus aderat hoſpes; & Te, vel ad illud ſalutationis momentum ferebat ex oculis. Verſabaris continuò inter Principes, & adhuc deſideria Tui provocabas: diem enim ſolidum, horarijs tantùm metiebantur clepſydris; quibus aderas. Et ſane plurimi Te Magnatum circumſiſtere, multi ambire, ſinguli adire quærebant: & eras unus omnium votum, unus amor. Detumuit plerumque juſta magnitudo, altiori aſſociata faſtigio: poterit à montibus deſpectari Gigas: ecclipſantur ſidera, quoties ad Solem accedunt. Nihil hæc naturæ diſpoſitio in Te potuit: aderas purpuris nondum illis indutus; nec quidquam tamen Tuæ æſtimationi deceſſerat; quibus Te parem, omnium fecit deſtinatio. Ornaſti acceſſu Tuo Tiaras, non

dum

dum Ipse Infulatus; licet Te ijs totius Patriæ vota adornabant, ut prius Pontifex videreris, quàm esses. Indignabantur Vittæ, tam faustæ omnium electioni, quòd se præcesserant: venire tamen prius non poterant; quibus Tua præclusit aditum modestia. Serò & suspensîs passibûs progredi ad altiora volebas: lento enim tramite procedunt ad præmia merita: tardissimi sunt gradus magni Sideris, hîs tamen ab auge non deflectit. Nihil sibi approperat festinatio, quàm leve orbis judicium: agilitas fluctuantis cymbæ, vacuam esse prædicit: inopinata àëris incensio, fatuos ignes, ejectamenta nubium indicat. Longius meditatur iter, qui deliberato & ex tempore incedit passu: citatiores enim Stadiodromi, promptiùs quàm ivêre quiescunt; quos raro præceps ad sublimia ambitus; non præcipitat. Differre tamen virtutibus Tuis, non poteras præmia: quin Te Sacris initiarent Honoribus, ad quos jam ampla satis merita, perfecisti. Acclinavit Cracovia ternas Vavelli Coronas, vel quod nihil in Te, non coronandum viderit; vel quia ad summa iturus à diademate Tuæ dignitatis tyrocinium inchoâsse debueras. Primo Te Canonicum illi Cathedræ dedisti, & jam par Infulis in illo Episcoporum Seminario, Pontificias attigisti virtutes: tales enim in Te erant, & si nondum Tiaratæ. Adiisti Vavellanum Senatûs illius Culmen, ubi Hyblæo virtutum flagrasti decore, ut omnibus Te in tantæ suavitatis illicio, commodares. Quantum sumere placeret, licebat ex Te: flos pietatis, morum, & vitæ integerrimæ eras; à quo Diœcesana Cleri pendebant agmina, quemadmodum à rosa apes, & mella sanctitatis condebant. Nimirum nemo fecit meliùs: vixit perfectius nemo; quàm qui ex Tui exemplo: nec erat qui non ex illo & fecit, & vixit. Punctô enim majora dabas, quàm à millibus possent: unde nihil supererat orbi, informando. Eminuit in Te Religionis zelus; quô sanctiores etiam Numas superâsti: ad Aras divinum quoddam exhibuisti Numen: ita sacra agebas, ut non atten-

tiùs Pietas. Vivit hæc in Te; nec tantùm Cæleſtes vultus ſignavit in ore;ſed ipſam inſpiravit mentem: veluti Numen ſui vellet ſubſtitutum. Et ſanè dedit Te nobis ea felicitate; quâ nec ipſa meliùs præeſſet: totum jam enim in Te,& per Te potuit; quod aliquando in Superos fieri optavit. Promotio Fidei, Superum cultus, devota in pauperes Chriſti liberalitas, nonniſi Pontifice dignæ virtutes erant: adhuc tamen auguſtam ſubmittere frontem,Sacris nolueras Tiaris: ſed æſtimatrix meritorum Roma, ultrò primam impoſuit; quæ aditum alijs impetraret, CLAUDIOPOLITANUM Te renuntiavit PRÆSULEM. Poſnania SUFFRAGANEUM,& Suæ Cathedræ ſuſcepit PRÆPOSITUM. Tot in Te conſpirarunt decora, quibus Tu novum acceſſeras decus: occurrit fortuna honoribûs cumulatior, ac honores meritîs, & dotibûs animi cumulatiores. Variati crebrò tituli,Mens immota manſit: etiam in tot faſtigijs non elata, ſublimis tamen; cui Præſuleus Scipio ad pietatis culmen præibat: impoſitæ ad verticem Infulæ, Cælo animum porrexêre. Sufficiet ne recenſendo calamus? quô emolumentô virtutum? quô Cleri exemplô? quô ſcelerum metu? hujus Diæceſeos Officialem egiſti: Tu ne, an Sanctimonia, & ipſa Æquitas, conſulat flagitia ſua, & ſtragem graviter condemnata impietas: diſpiciat pleniùs magnô ſemper patrociniô protecta innocentia. Triumphavit hæc ſemper Te Iudice, quamvis omni deſtitueretur potentiâ: & quidem eâ fiduciâ, ut non alia quæreret ſuffragia, quàm à ſe ipſa, & ſe ipſam. Suffecerat hæc ſibi; ſed in Foro Tuo: metum enim alibi, & pænas trahit, ſi non contracta ad pretium manu,Curiam pulſat. O utinam Superi! vota, conatusque Tuos audiant, ut Tu ſupplicum cauſas; in quibus ea tantùm admiſeras præjudicia, quod publicam eò loci egiſti Perſonam, privatæ ſemper ſimilior. Hinc illa facilitas, quâ Te omnium uſibus impenderas: hinc pauperrimum ſuſcipiendi comitas; quâ nunquàm in audiendo, in reſpondendo nunquam traxiſti moram. Porrò tantum Te omnibus exhibui-

hibuisti facilem; ut alij nec sibi tractabiles. Aderat querulantium turba, non fores, non aures obtundebas; attollebat indiga manus libellos, Tuâ calamitatem sublevabas: jamque in ædem fortunæ inferri inopia credebatur, quoties in Tuam. Divinum hoc sed & Tuum o PRÆSUL! nunquam enim Principes animi propiùs ad Superos accedunt, quàm dum ita populo prospiciunt. Vidit has in Te virtutes Polonia, & tamdiu quasi ipsa secum meditans, an pares Tuo Capiti habuerit Infulas? magnitudinem Animi prospectabat; donec didicerit infra eam repsisse, quod aliis totâ etiam supereminet fronte. Obtulit: tamen primo, LIVONIENSEM TIARAM, decrevitq; sæpiùs coronare Frontem, quàm semel ex toto cingere non poterat. Adiisti novam hanc Regni dignitatem; quam cùm merita Tua præoccupâssent, altiùs ipsô fastigiô crevit, quòd Tibi accesserit. Et hujus purpuræ tramite, postquam Polono Orbi Tua meritorum impressisti vestigia, cùm penè totum calcares, ad hoc Te hodie Superi deducunt fastigium; ex quo Sacri Regiminis Pedo, suppedaneam non jam in parte, sed Majorem habebis Poloniam. Et ita sufficiens obtijsse debuerat, quæ virtutibus tamen Tuis nondum ampla, major haberi non posses. Novit harum pretium Roma, noverat Urbis & Orbis Caput CLEMENS XI. qui cùm omnia sanctissimè egerit; quid meliùs Ecclesiæ potuit? quàm ut Petri Cathedræ PETRUM reddidisset. Arcanum hoc Cæli, & superna destinatio in Te o PRÆSUL! evoluta: ad tam triumphalia Ingressûs Tui festivos Poloniæ movet plausus. Hinc intuere, quos comites habes: Majoris Poloniæ Proceres, & penè totus Regni Senatus, effusæ Nobilitatis agmina, in gentibûs assistunt gaudiîs; sentiuntque Sacras attolli SECURES, ad fortunæ suæ securitatem. Erumpunt undique Populi, & vicinum felicitati Suæ conjiciunt diem, quando Tuâ rubere Purpurâ, suas vident Posnaniæ Turres. Salutant Te in primo Cathedræ Ingressu Coronati Regis BOLESLAI Manes: Occurrit PETRUS, qui pro Suâ

PONINSCIÆ hîc insedit NAVI; in qua virtutibûs & meritîs PRÆPOSITI, tanquam suis impellitur remis. Attollit triumphale KIERSCIANÆ CRUCIS labarum, ut in Te hostes Fidei terreat; quorum allisam humo frontem palmarî DECANI Soleâ conculcabit. Imò jam WILXICCIIS Cathedræ hujus ARCHIDIACONI FASCIIS, purpureas GODZCIORUM innectit ROSAS: cognovit enim sic Te Ecclesiæ, & Patriæ curas suscepisse, ut non sua eventum destitueret Corona. Admovet Tibi OPALINIAM in CUSTODE Sanguinis Tui NAVIM; ut quem Nomen, zelus Apostolum fecit, hæc etiam PETRUM omnibus signet. Promittit in Gemino CZAPSCIORUM SIDERE propitium Tuo Regimini Cælum; cui ad nutus esse ne dubites, SCHOLASTICUS erudiet. Porrigit in MIERZEIEWSCII ACERVO, uberiorem annonam, ex quo non ipse ARCHIDIACONATUS SREMENSIS, sed tota Diœcesis sanctioris vitæ sumet alimenta. Ibit tandem super Æthera Pennis KAZNOWSCIANÆ instructa ALITIS Tui Nominis fama, quam Orbi suo loquetur coronatus WĘZYKORUM SERPENS. Exarabit hæc, quæ Petrus promittit IVANSCIANA Cancellarij SAGITTA, & perpetuis signabit marmoribus. Sic decora in PRÆLATIS Suis obviâ venit PETRI Cathedra, & pariter CANONICORUM circumstat apparatu: ita Pontificio applaudens Honori, ut præconceptam ex Ingressu Tuo Patriæ, & Ecclesiæ denuntiet Orbi felicitatem. Acclinat licet à longè Sceptrigera Mater, prima Regni Schola, Universitas Cracoviensis, literarios PRÆSULEO Nomini Fasces: occurrit cum Posnaniensi Academica Pallade, & frondes LUBRANSCIANÆ PINUS in triumphales Ingressûs Tui insinuans Arcus, singulare Palladij præsidium, Tuam exoptat ASCIAM, cujus Divino planè firmatur robore PATRIÆ, & ECCLESIÆ securitas.